...ski
...arn-
kow.
Glogoviae joh. francius. 1625.

Annus IVBILEI,

Quem

Sancta mater Ecclesia Romana, fovet & retinet; Lutherana fugit ac persequitur.

In

Fidelis Admonitionis, de religione Papistica fugienda, & Lutherana constanter retinenda, Doctorum Academiæ Wittebergensis, gratiam conscriptus.

In Prima Parte, verum simulq; Orthodoxeum sensum, de Indulgentiis, explicans.

In Secunda, brevirer ea, quæ per *κακίαν* & *ἀνοσιουργίαν*, à Fideli Admonitione, Doctorum Wittebergensium in quinq; Capitibus recensentur, examinans.

Per P. Fr. JOANNEM PAULUM de Czarnkow, Sacræ Theol. Lectorem, Cœnobii SS. Apost. Petri & Pauli, Majoris Glogoviæ, Sacri Ordinis Fratrum Prædicatorum, Priorem.

ANNO DOMINI M.DC.XXV.

GLOgoviæ excusus à Joachimo Funccio Calcographo.

ILLUSTRI & MAGNIFICO
DOMINO,

D. GEORGIO ab OPPERSDORFF,

Lib. Bar. in Aich & Fridſtein,

Domino Superioris GLOGOVIÆ & Polniſch-Newkirch, &c.
SACRÆ CÆS. MAIEST. CONSILIARIO, CAMERARIO, Ducatus GLOGOV. CAPITANEO Primario.

ANnum JUBILEI, eundemq́; novum, Tibi ILLUSTRIS & MAGNIFICE DOMINE, mitto: qui, etſi multorum variis inſaniis, & calumniis, ſæpe infeſtetur; nuperq́;, per *Authores Fidelis Admonitionis, Doctores Wittebergenſ.* Diaboli impulſu, mirum in modum blaſphemetur incolumis tamē, atq; inviolabilis, permanet; firmus, & immaculatus ſtat: ceu ille, quem authoritas Sacræ Scripturæ, Sacrorum Conciliorum, Decreta Sancta, Patres Sancti, potentiſsimè confirmant, & abiis qui in pulverem ſufflant, & in oculos ſuos terram excitant, immunem reddunt. Hunc igitur in

opusculum veritatis congestum, tibi ILLUSTRIS & MAGNIFICE DOMINE, qui semper fidei; Religionis, & Patriæ sidus es, do & consecro. Tibi, quem sancta Fides Catholica, educavit, ac nutrivit, quem indefessum sui defensorem habere gaudet, pro cujus tutela non Tibi novum fugare hostes, reportare victorias, & triumphos promereri, offero, & dedico: ut Tuæ ILLUSTR. & MAGN. DOM. nomine illustratus, hæreticorum calumnias facilè vincat, eorumq; tenebras plenissimè discutiat, & à te susceptus, atq; defensus, neq; perhorrescat adversarios, neq; timeat invidos, neq; metuat malevolos: quin potius, tutus eat ad omnes gentes, à quibus ignorantiæ & erroris tenebras, nebulasq; repellat, quas subdola *Fidelis Admonitio* in vera Fide Catholica, offundere voluit. Perge igitur CATHOLICISSIME DOMINE, & hoc fidei opusculum, pro tua innata bonitate, gremio excipias, atq; foveas: quatenus tuo favore ita alatur, & tueatur, ut perpetuum, & immortale fiat, Vale. Datum in Conventu SS. Apostolorum Petri & Pauli Majoris Glogoviæ Ordinis Prædicatorum, Die 25. Novembr. An. MDCXXV.

Tuæ Illustr. D. affectissimus

Fr. JOANNES PAULUS de CZARNKOW,
S. T. Lector, Prior Glogovien.

Ad Le-

Ad Lectorem.

CIRCUMFERTUR IN VARIIS, tùm Germaniæ, tùm Silesiæ locis, libellus (cui titulus Fidelis admonitio, de religione Papistica fugienda, & Lutherana constanter retinenda, ad Evangelicos in Bohemia, & alibi pressos, ex Christiana compassione scripta & publicata, per facultatis Theologicæ Doctores, & Professores, in Academia Wittebergensi, &c. Anno D. MDCXXV.) in quo Orthodoxæ fidei Catholicæ, graves errores, & apertæ hæreses, impinguntur; contemptusq; illius multa congerie sophismatum suadetur: idq; ea confidentia & verborum authoritate, iisq; aculeis & objurgationibus, ea Scripturæ abusiva copia, ac si in apertos hostes, veræ religionis, (ex quibus hæc admonitio est, scaturiginem omnis impuritatis stillans) causa ageretur. Revolvitur hæc admonitio per manus multorum, tùm apertè, tùm occultè, & à multis iis præcipue apud quos domestica factionum dominatio viget, æstimatur: à quibusdam etiam describitur; non advertentes illud deceptionis perspicuum argumentum, quod qui falsa persuadere velit, majori quodam ornatu indiget, unde delinimentis utatur, & quibus desipientes polliciat. Non mirum. Fraus enim in parvis fidem sibi præstruit, ut cum operæ pretium sit, cum mercede magna fallat. Venit etiam ad manus meas hæc eadem Admonitio, sed in ea profectò, Mancipe-

ram; & claudi manticam, *reperi: & diligentius pensitando, eandem* Octipedem excitare, & Leonem radere *perspexi. Gravia sunt ista & minimè dissimulanda.*

Quare ut pleraq́, falsò per versutiam, & fallacem rationem nocendi, Sanctæ matri Ecclesiæ Romanæ, ac fidei imposita, detegantur; & ne qui admonitionem illam legerint, vel lecturi sint, in talibus erroribus hæreāt, ne vilia sectentur tanquam preciosa, aut preciosa tanquam vilia rejiciant, ne vituperent laudanda, neve laudent vituperanda, ne satam, sanam, & integram, fidem Catholicam fugiant, & Lutheranam adversantem Spiritui Sancto, cum rabida ac vecordi audaciæ severie retineant: visum omninò est, non quidem ad singula contenta, singulariter respondere; cum & indigna sint responsione, ut inferius ostendam, & me illud non lateat, quod dicitur: Si vindicari vis, sile, & funestam inimico dedisti plagam, & sic mihi gloriosius videtur, injuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare, illa tamen explanata relinquere, propter quæ, pax Ecclesiæ, atque fidei unitas, dolendum immodum, cum certa plurimorum Christianorum pernicie, primò divulsa, atqué interturbata fuit. Satis enim mihi turpe videtur, satis ab officio Catholici alienum, vigilante Juda, in re tanti momenti, dormire Petrum, & undiqué grassantibus lupis, pastorem sui gregis curam abjicere, ac hujus demum sæculi, imò tenebrarum filios, in sua generatione magis, quàm in C h r i s t i *regno lucis filios sapere, & prudentiores esse.*

Controversiam igitur contra Fidelem Admonitionem, quæ Sanctas Indulgentias *suo extremo malo blasphemat, oppugnat, & persequitur, scribere multis causis sum adductus. Inprimis quidem, qua commune bonum, communi consilio.*

silio, studio, & opera, bona fide omnes tueri, defendere, & conservare debemus: si enim boni filii, thesaurum morte majorum relictum custodiunt, & Catholici profectò, sed præcipuè sacerdotes cœlestem Thesaurum Indulgentiarum, in Ecclesia depositum, traditum, & relictum, magno studio, & labore, custodire & conservare debent, qui deinceps ab Apostolicæ potestatis throno, ad animarum salutem, per Ecclesiam effundendus manet: & hisce temporibus, cum ardore, & amore vehementi expectatur. Præterea, novi me esse in numero ipsorum, qui oratione Sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ, opus habent, quapropter Indulgentiam meditor, Indulgentiam sicut milvus pluviam desidero, & sicut cervus fontes aquârum sitio.

Quocirca ut possim, cum pœnitentibus particeps esse Indulgentiarum, controversiam de Indulgentiis, *methodo Scholastica, stylo communi scripsi; quâ de alto cadens, grandem sonum faciens, offensiva, licet nominaliter* Fidelis Admonitio *redarguatur: & tanquam idolotita, ac in lege prohibita caro, ceu* Tricæ Apinæ, *vel* nebula in pariete, *contemnatur.*

Intentio Fidelis Admonitionis.

Fidelis Admonitionis futurum monumentum erit, secundum paratum & impositum, sibi nomen. O quam sublime nomen Admonitio *& quidem* fidelis! *Verum non sat tuum officium te fecisse, si non id fama approbat. Nomina sumuntur, aut à coloribus, ut Rufi à Rufo, Albini ab Albo, aut à membrorum singulari affectione, ut Simon à simis naribus, Buccones à buccarum amplitudine: aut ex virtuti-*

bus, ficut Jaſon à medendo dictus; Sic Piſones, Fabij, Cicerones, & reliqui præſtantiſſimi dicti ſunt, ut juxta Platonem, nomina cum re conſentiant. Et Admonitio unde? *forſitan fidelis dicitur ex ſingulari affectione erga Evangelicos in Bohemia & alibi preſſos?* O Laches, Laches! Ubi mortem obii eris, rurſum eris tum Gerylus.

Verum, quid tacita verſas, licet ipſa ſileas, licet ipſa neges, vultus loquitur, quodcunque negas: effare dubitas, cur faciem mutat color, quid verba quæris, cur adinſtar Agathonicæ cantionis *magis doloſa, quàm frugifera decantas? En, quomodo Fidelis Admonitio, numerat ſe per originem generationis, & proſapiæ, quia* Admonitio *&* Fidelis. *At ingenue fateor, quod Scorpius venenum in cauda gerit, & obliquè ferit, & argentum licet candidum, nigras tamen ducit lineas, & carbunculi ignis nomen & ſpeciem habent, ignem tamen non ſentiunt,* ſic & tu Admonitio: *fidelitatis opinionem, & imaginem obtinuiſti, à re tamen exulatur, quare dicenda potius eras,* Aurum ſubæratum, Mellitus gladius, Symia in purpura, Naves onuſtæ conviciis, intus Nero, foris Cato, cujus ſerpens pars prima, draco media, ipſa chymera. *An non recte, quæ* Galatheam prædicas, & Thetidem ſpiras? *Saccarizas Admonitionem fidelitate, an non lupus tectus pelle ovina, per vocem cognoſcitur?*

Seneca. Bel erat externe pulcherrimus undiq; & auro
Tectus: at intus erat nil niſi vile lutum.

O vita fallax? abditos ſenſus geris animisque pulchram turbidis faciem induis.

Admonentur Evangelici preſſi, per Doctores Wittebergenſes. Alios admonere ſi quid errent noſtis, errata at ipſi veſtra non cognoſcitis. Scitisne quod Sit facile? reſpondet pro vobis Thales. Alterum admonere: *verum (inquit)* dum

dum valemus tunc recta consilia ægrotis damus. *Et vos quomodo valetis? in tantum, in quantum vestra Admonitio vos valere permittit. Hypocritæ, ejicite prius trabem de oculo vestro: Cur induimini vestem, ex lana, linoq; contextam?* quomodo *hæc vestra* Admonitio, *imaginem admonitionis habet, quæ ambitione, contumeliis, calumniis, garrulitate, detractionibus, abundat?* quomodo fidelis, *quæ adulatione, blasphemia, calliditate, fallaciis, hypocrisi, imposturis, judicio temerario, nugis, perfidiâ, seditione, simultate, gaudet?* quomodo Admonitio, *cui nihil de malevolentia obtrectationibus, fuco, dolo, & discordiis, deest?* quomodo Fidelis, *ubi perturbatio, ostentatio, morositas, perfidia, ineptiæ, & his similia, buccarum amplitudine, decantantur. Rectè dixerim an non, hanc Admonitionem superasse* dolum Trojanum? *utiq; rectè, nam* Altera scabit, altera facit manu. Altera fert aquam, altera ignem. Altera lapidem, altera panem ostentat. *An non potuistis hanc vestram κακίαν aliter explicare? An quia malus, bonum malum esse vult, ut sui sit similis, in cœlum expuere debetis? Talemne* Admonitionem *atq; doctrinam commendat vobis D. Paulus in multis locis? Audite D. Augustinum:* Dabit (*inquit*) divinarum scripturarum Doctor fidei, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere, & hoc opere & sermone, conciliare adversos, remissos erigere, nescientibus, quid expectare debeant, intimare. *Et præterea, si vestra* Admonitio fidelis, *illa debet esse, cui merito fides adhiberi potest, sive, quæ nunquam fallat, ita D. Paulus. Quamobrem etiam, veritatis nomine significatur: quomodo igitur hæc Admonitio ex Scripturis, petita, vestræ, vobisq; consonabit? Apparet vos non potuisse leonis exuvio, id quod desiderastis assequi, vulpinum applicandum duxistis, quod honestê non potestis.*

Augusf. de doctrin. Christian.

ad Tit. 1.

Joan. 17.

 stis.

stis, id fraude efficiendum existimatis, dum adulterinam mercem, pro veris supponitis. An vos Nova hyrundo? *O quam optimè scitis* obtrudere palpum, *&* circumtondere comam.

Admonentur Evangelici de religione Papistica fugienda. Aut tam infirmi sunt & vacillantes? Infirmi profectò, & suspirant ligati, non ferro alieno, sed mera ferrea voluntate, velle illorum tenet inimicus, & inde funes illis facit: ex perversa enim voluntate illorum, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, hic jam desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores fiunt: hac pelle induti Evangelici, non indigent admonitione: siquidem omnes fecerit illa, suesve, luposve, leones. *Faxit tamen* D*eus, illos hoc vitio non implicari, utinam cohibeant mentem, intra septum rationis, & intellectum intra gyrum veræ fidei, quæ omnia contentionis cacumina explodit.*

An tibi etiam est curæ Catholicos admonere, de religione Papistica fugienda? Prius locusta bovem pariet. *Quare velim ut simulata removeas,* non enim facile tibi est decipere Vlyssem. *Norunt isti doctrinam per malos, esse palmitem in sepe, botrum inter spinas, norunt cautè legere, ne quærentes fructum, lacerent manum, norunt docentes Scripturas, quas non intelligunt, norunt fidem prædicantes, & infideliter agentes, pacem aliis dantes, & sibi eam non habentes, veritatem laudantes, & ψεῦδος diligentes. Cave igitur Admonitio, ne cinerem vitans, in prunas incidas,* calidum enim prandium comedisti. *Enimvero, quod non bona intentione facis, non tibi proderit: Vnde rectè de* Authoribus Admonitionis *dicetur,* qui Bove venatur leporem, & Aratro jaculatur, & Sagena captat cervos, si non assequitur, non potest accusare fortunam, sed suam ipsius stultitiam.

Prodisti

Prodisti cum hasta & scuto, cominus atque eminus, cum omni certaminis genere, persuadendo fidem Lutheranam, dissuadendo Catholicam, & ignoras, quod, Camelus desiderans cornua, etiam aures perdidit. *Eo quod hanc technam, in seipsum struxerit.*

Admonentur de religione Lutherana constanter retinenda, scio constantiam esse perseverantiam in veritate, quæ vera, justa, & necessaria, in officiis suæ vocationis, in docendo, in moribus, in consiliis, in actionibus, in officiis, amicitiæ debitis, constanter seu æqualiter, perpetuò eligit, & dicit, & facit. Cognatæ virtutes sunt, confessio, fortitudo, & gravitas: objecta constantiæ sunt; omnes reliquæ virtutes, & inprimis veritas: exempla illustria sunt, omnes Prophetæ, Apostoli, & Martyres, qui confessionem veritatis, suæ vitæ, & omnibus humanis rebus, anteposuerunt: Hac ne constantiâ vestra religio Lutherana est digna? minime: cum sit extra fidem, aut si in fide, tunc illius formale deformatum, materiale depravatum, interior actus violatus, exterior exulatus. Et unde talis ruina? quia fides vulgi vestri, fortior est fide Ecclesiæ Catholicæ, quæ testante D. Augustino, ab ipsis fundatissimis Apostolorum sedibus, usque ad hodiernum diem, succedentium sibimet, & Episcoporum serie, & tot populorum consensione, confirmatur. *Hæc indicanda Catholico Lectori duximus, ut ab Apostolicis institutis, & à vera fide, nullo ulterius recedat excessu.*

Recordetur, quod non sit ventilandum in omnem ventum, non eundum in omnem viam, firmiter standum in via Domini, & cavendum à Fideli Admonitione, *quæ derelinquit vias rectas, & divertit in vias pravas. Quid enim præ se fert* Admonitio, *quæ maximè* Lutherizat, *& tàm multa quàm non sapiens, dogmatizat? quid itidem* Lutherus homo

trioboli

trioboli , vitiosa nuce non emendus , *qui cum authoribus Fidelis Admonitionis infideliter fidelizat? Enimvero hæc fidelitas non alia est , nisi executio astutiæ , & machinatio ad eos fallendum , quos blandis verbis tollit in altum , ut fortius dejiciat. Instrumento pacis , titulo fidelitatis , mortem irrogat , & quasi canis mendico auxiliatur , cum tamen.*

Catullus. Nec facta impia fallacium hominum cœlicolis placent.

Fidelitate induitur , maximè tamen infidelis est, quia malus ubi se bonum simulat , tunc est pessimus. Namq; non omnes qui habent Cytharam , sunt Cytharædi.

Precor DEUM *venerans, ut hæc omnia sint, absq; offensione eorum , qui aliter sentiunt. Innocentiam enim nostram defensum imus , falso imposita amolitum , sinistras adversariorum de nostra religione suspiciones, & rumores , discussum , veritatem inquisitum , nemo illius examen suæ sententiæ injuriam interpretetur. Vale , & sequentia legere , ne pigriteris.*

7

SYNOPSIS Tractandorum.

PRIMO, Ostendam quid *Fidelis Admonitio* de Indulgentiis sentiat.

SECUNDO, Controversiam principalem, & difficultates circa eandem petitas *ex Fideli Admonitione*, explicabo.

TERTIO, Defendendo sententiam nostram, adversam expugnabo.

QUARTO, Modica quædam argumenta solvam, & hæc in prima parte.

In decursu verò, obiter indicabo nõnulla, quæ per ἀθεότητα in eadem Admonitione continentur. Et hæc in secunda parte.

Prima Pars.

Ex Fideli Admonitione, censura Indulgentiarum.

CAP. II. fol. 33.

Qui ad Papatum deficit, &c. Tenetur idem non absq; singulari conscientiæ carnificina, recensere peccata singula, si ab iis absolvi velit. Indulgentias nihil valentes, carè emere.

Eodem cap. f. 46. in Resp. ad Minorem.

Distinguendum est inter fidem Romanam veterem, primorum Christianorum, & inter fidem Romanam novam, nostrorum Papistarum. Jllam commendavit Paulus, sed amiserunt Papistæ; hanc vero Apostolus nunquam cõmendavit, siquidem eam planè ignoravit. Isto enim tempore Missa, Purgatorium, Primatus Papæ, Invocatio Sãctorum, Regula Monasticæ, INDULGENTIÆ, *& similia dogmata prorsus fuerunt incognita.*

Cap. III. fol. 159.

Quod remissa culpâ maneat debitum luendæ pœnæ, quod reatus pœnæ temporalis bonis operibus redimi, & pro illa satisfieri possit, vicissim adinventiones humanæ sunt, non revelationes divinæ, extra scripturas traduntur, non ex scripturis deducuntur.

Indulgentiarum frequens est distributio in Papatu, sed earum & nomen, & definitio, & usus, nullibi descriptus extat in sacris literis. Christus quidem abundantissime satisfecit pro peccatis nostris, sed quod sancti etiam plus præstent, & faciant, quàm divinitus præceptum est, & ex illis superabundantibus satisfactionibus, thesaurus quidam indulgentiarum oriatur, mera figmenta, & nova hominum dogmata sunt. Per fidem scimus applicari & imputari meritum CHRisti, sed quod Papa potestatem habeat applicandi thesaurum satisfactionum, unde probabitur? Etsi talis Papæ competat potestas, cur non semper & universaliter cunctis fidelibus illum thesaurum applicat? Cur tam invidus, & malevolus filiorum suorum Pater est, ut non statim ex Purgatorio liberet afflictas animas, totiq; Ecclesiæ simul & semel thesaurum istum conferat, & universas singulasq; pœnas remittat? O misere cæcos, qui istas adhuc credunt Nænias! Probetur remissa culpa manere debitum luendæ pœnæ, probetur pro illis pœnis fideles posse satisfacere, probetur Sanctos plus facere, quàm meruerunt peccata propria. Probetur in Ecclesia dari talem thesaurum satisfactionum superabundantium. Probetur Papam illum thesaurum posse applicare, & tandem probetur istam applicationem fieri per bullas Indulgentiales.

Cap. III. fol. 204.

Ulterius, uti regna mundi ad se trahere, ita ex illis varias opes corradere, & paulatim ista expilare (supple Pontifex) *novit, per lucrosa dogmata de Purgatorio, de Indulgentiis, de Missis, de reliquiis, de venditionibus beneficiorum, cum primis Pallii Archiepiscopalis, & quæ ejus generis sunt alia.*

Censura

Censura Fidelis Admonitionis de Sanctitate Divi DOMINICI & Divi FRANCISCI aliorumq; Fundatorum Ordinum. Cap. 2. fol. 72.

Quod alios concernit divos Sanctulosq; Papales & Monachalium Ordinum authores, habuêre quidem isti aliquam externæ sanctitatis speciem, quâ deceperunt vulgus credulum, non tamen fuit eorum sanctitas vera, & incontaminata, sed potius.

1. *Superstitiosa, quoniam in electiciis cultibus fundata, dum posthabitis sacris literis, peculiares modos, eosq; plane superstitiosos, sæpe etiam ridiculos finxerunt, quibus DEum coli & ad perfectam sanctitatem, perveniri posse, falsò existimarunt. Patet hoc abundanter, vel ex sola legenda Dominici & Francisci, in qua leguntur tot superstitiosa, & puerilia facta, ut illos citius moriones fuisse amentes, quam viros sanctos DEum vere colentes, inde concludendum sit.*

2. *Pharisaica partim ratione ipsorum operum, quæ tantum erant externa, & ab ipsis excogitata, cum interim cor longe abesset à DEo, & negligerentur præcepta divinitus tradita, partim ratione finis, quia operibus istis cœlum promereri & in terris apud rude vulgus gloriolam quandam aucupari voluerunt.*

3. *Fabulosa. quoniam acta quæ de suis divis referunt Papicolæ, magnam partem ab otiosis Monachis sunt conficta, ut haberent quod populo ad fabulas alioquin prono narrarent. Videre hoc est cuivis qui modo auream sanctorum legendam inspexerit. Sæpe enim sibi ipsi contradicit & tam puerilia atq; anilia gesta refert, ut meras esse fabulas Thalmudicis similes quivis qui vel micam tantum sani judicii habet reliquam facile intelligat, &c.*

4. *Falsis hypothesibus superstructa. Senserunt enim legem à nobis impleri posse, dari satisfactiones proprias, & purgatorium, vitam æternam ex merito operum contingere, aliisq; Papalis fidei articulis, in scriptura manifestò rejectis, assensum præbuerunt. Impossibile autem est, ut*

vera sit sanctitas, ubi falsa religio. Si enim cor imbutum sit erroneis principiis, tum quidquid ex iis deducitur, erroneum falsumq́; sit oportet.

Ecce quo Fidelis Admonitio progreditur, Os infræne, loquacior turture, quasi Architæ crepitaculum, nec sanctis parcit. Ast nunc breviter dico, quod tua crepitatio nihil valet, quandoquidem tales non sunt, quales ipsa eos dicis: jam hunc stridorem non molestè ferunt, cum quotidiè ipsum à vobis audiant, verum ne spina quidem, vulnerabit bonos. Memineris tamen Admonitio, quod licet Dii laneos habeant pedes, tamen

Horat. *Raro antecedentem scelestum*
Deseruit pede pœna claudo.

Cōtroversia Theologica.

Utrum Indulgentiæ aliquid sint & valeant.

In hac Controversia Indulgentiarum valorem cum antiquitate, & quomodo sancta mater Ecclesia, semper fuit in possessione earundem, traditione, authoritate Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & testimoniis Sanctorum Patrum; cōtra Hæreticos comprobabimus, præmissis capitibus difficultates hîc pertinentes, explicantibus.

Caput I.

Palinodia Hæreticorum.

PRimi, qui cōtra Indulgentias acuerant linguas suas, fuerant *Novatiani Hæretici*, claudentes in peccatum prolapsis, & ad Ecclesiam dolore cordis pulsantibus, paternæ bonitatis solatia, talesq́; sine spe pacis, ad Diaboli prædam projiciebant.

Horum socii erant *Valdenses*, qui eadem ἀβελεία laborantes, easdem contempserunt. Ab his nunquam deficit *Joannes Wickleff* quadragesimo primo Articulo dicens. Fatuum esse

credere

credere Indulgentias Papæ & Episcoporum. Non aliter quàm Valdenses, qui nullius esse valoris Indulgentias dixerunt.

Sic etiam *Hus* in favorem quorundam Principum dogmatizavit, quatenus ablata Ecclesiastica bona, licitè servare possent.

Tanta progenie clarus *Martinus Lutherus Lupi decus*, in magna copia confusæ vocis, ingentem atq; inconditum sonum, contra indulgentias edidit: & tanquam *Ambicus Tibicen*, cujus aures in linguam defluxerunt, multas sine mente voces effutiens, contra Ecclesiasticas Indulgentias insurrexit, easdemq; impiè blasphemavit, & ab iis originem, suæ Sectæ perversissimæ fecit; ut ex multis ipsius locis constat: Quod etiam refert *Prateolus Doctor Theologiæ libro decimo Hæresum, Titulo Lutherani.* in hæc verba: *Lutherum turbarum omnium Germaniæ causam esse, fatetur Joachimus Camerarius, (si fidem meretur Joannes Soltzius) culpamq; omnium ærumnarum, quibus adhuc conflictatur Respubl. transfert in illius contentiones. Illud ergo novæ doctrinæ genus, cum magna ingenioli ostentatione maximaq; jactaret verborum contentione Lutherus; contingit Leonem Romanum Pontificem, templi Romæ D. Petro à Julio Secundo inchoati, tandem absolvendi, aut (ut ait Tilius) Turcici belli causa, indulgentias atq; peccatorum condonationes, sive pœnarum relaxationes, elargiri: quas Archiepiscopo Moguntino per Germaniam credidit distribuendas. Has Augustiniani commendatas solebant populo proponere. Verùm Moguntinus hoc tempore, illas ad Dominicanos transtulit invulgandas: unde simultas inter illorum mendicantium ordines, haud sanè levis exorta fuit. Lutherus, ut erat ingenio acri, ubi quæstum ad se, suosq; redire solitum, aliò, cum animi dolore, reiq; culinariæ detrimento, videret translatum, cùm non valeret eripere; studuit saltem impedire, aliisq; optatam illam prædam imminuere, ut si totam non excuteret, saltem majori ex parte averteret. Publice igitur Anno Domini 1516. Lutherus in Indulgentiarum vim atq; efficatiam, inter concionandum, magna cum animi contentione est invectus: huic turba frigidam suffundebat Staupetius Augustinianorum Provincialis, vehementer illis obtrectans earumq; vim extenuans.*

Contra TETZELIUS Dominicanus, sua pro authoritate illas propugnabat & defendebat. Mutuis ergo & contrariis assertionibus populo Saxoniæ dubitandi ansam præbuêre, opinionibus per con-

ventionum studia, in pejus declinantibus; cum Lutherus initio Indulgentiarum potius abusum quàm legitimum earum usum, quem antea laudârat, fuerit insectatus, qui & ipse, cum suis, ob earum promulgationem, maximoperè speratum soliti jam quæstus lucrum multò sanè maximum captâret. Hac igitur inter ipsos oborta, cum infirmorum scandalo, contentione, de indulgentiarum viribus & efficacia, Ecclesiæ pax atq; fidei unitas, dolendum in modum, cum certa plurimorum Christianorum pernicie, fuit has in sectiones divulsa, atq; interturbata. Hac Prateolus.

Hic igitur transfuga audiatur, quid in suis resolutionibus, aut assertionibus, vel in initio libri de Captivitate Babilonica, dixerit: *Indulgentiæ sunt* (inquit(*piæ fraudes fidelium, & remissiones bonorum operum, & sunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorum quæ expediunt.*

Et alibi. *Erravi fateor, ut dixi Indulgentias esse pias fraudes fidelium, sic enim à multis proverbio dici audieram, quos tunc imitabar. Revoco ergo, & dico, Indulgentias esse impiissimas sceleratissimorum Pontificum fraudes, & imposturas, quibus & res, & animas fidelium, fallunt, & perdunt.*

Hæc *naris obesæ Lutherus* evomuit. Judicavit de Indulgentiis, & de se judicari non vult, ceu ille, qui prius *Musicus, modo Oliter factus.* Revocat opinionem de Indulgentiis, *Mandrabuli more*, procedendo in deterius; nam ut prius, ita nunc, & multò magis, aberrat à Scopo: quamobrem, ut metus φέναξ non est audiendus.

Hunc excitatum Megalandrum, putantes præcipui Lutricolæ, Professores Academiæ Wittebergensis, Authores Fidelis Admonitionis sedere extra fumum & undam, quasi Antiochum Syriæ Regem luxuriosissimum, milites sunt imitati, aureis clavis crepidas subnectentes, argenteaq; vasa ad usum culinæ comparantes, & tabernacula textilibus sigillis adornantes: eamq; Censoriam virgulam de Indulgentiis statuerunt, quod sint, *nihil valentes, quod ignotæ, quod ad inventiones humanæ sint, quod extra scripturas, quod dogma illius lucrosum: & alia blasphema,* ut magis impii Hyppomene appareant, ibidem promulgarunt.

Verum enim vero, provocat pœnam suam, obliviosa malitia, nam facilè ii debellantur, apud quos nec divina quidem,

nec

nec humana jura sat valent, ac proinde, quemadmodum *Turdus* ita & *Fidelis Admonitio sibi ipsi malum cacat.*

Veritas autem (*quæ sola liberat, sola salvat, sola lavat*) fidei & Ecclesiæ Catholicæ, admittit Indulgentias, in eo quo explicabitur sensu.

CAP. II.

De Nomine & Definitione Indulgentiæ.

INterest in hac disputatione (quam sub regula fidei, sobriam, & ad ædificationem instituo) nosse quiditatem Indulgentiæ, quam, si non essentialem, descriptivam tamen, ad sensum sacræ scripturæ, demonstrabimus. Quod vero difficile sit eandem essentiali definitione investigare, hinc vel maxime patet, quia constat sanctam matrem, Ecclesiam Catholicam (ut refert Catechismus Romanus) infinita Dei virtute peccata remittere, & ex injustis justos reddere; eandemq; immensam vim divinam, credimus esse ita necessariam in excitandis mortuis, ac in mundi creatione, imò magis necessariam ad faciendum pium ex impio, quàm ad cœlum ex nihilo condendum, testante D. Augustino. Quocirca Indulgentiam quæ remissionem, & condescensionem, in scripturis sacris significare solet, definitionibus descriptivis tantûm, prout intellectus humanus apprehendere potest definiemus.

PRIMA DEFINITIO. Indulgentia, est quædam remissio pœnæ debitæ pro peccato, post contritionem habitam de eo.

SECUNDA. Indulgentia, est remissio pœnæ temporalis, debitæ pro peccato actuali, jam dimisso, concessa existenti in gratia, de thesauro Ecclesiæ, à Prælato data.

TERTIA. Est Cajetani in opusculo 21. quæst. 1. Indulgentia, est quædam absolutio ab injuncta pœnitentia, in foro pœnitentiali, annexam habens communionem thesauri passionum Christi & Sanctorum.

Dantur & aliæ definitiones Indulgentiarum, sed ferè in idem redeunt, quare non sunt multiplicandæ

At Fide-

At *Fidelis Admonitio Nomen & Definitionem, Indulgentiarum, nullibi in Scripturis extare*, clamitat, nosq; *miserè cæcos* pronunciat. Scio quidem nihil deformius esse, quàm respondere furiosis; contumeliam tamen pati, non est generosi animi. Nomen itaq; indulgentiarum *Authores Fidelis Admonitionis* (nisi cœcutiant) in scripturis vident, illudq; audierunt: verum, *Sus Tubam audivit*, & ut pro more suo jungandi occasionem quærant, & è mensa faciant causidicinam, Sacram Scripturam pro nomine Indulgentiæ videre contemnunt. Reassumant ergo serpentis oculos, si hominis displicent, & illud quod est *notum lippis ac tonsoribus*, ipsis vel cæcis, appareat.

Isai. 61. Ecce in Isaia legitur: *Prædicare captivis Indulgentiam*.
Judith 8. Judith: *In hoc ipso pœniteamus, & Indulgentiam ejus, fusis lachrymis postulemus.*

Item Isaiæ. cap. 63. *Quæ largitus est eis, secundum indulgentiam suam*. Et Paulo infra: *In dilectione sua, & indulgentia sua ipse*
Luc. 4. *redemit eos*. Et Lucæ dicitur: *Prædicare captivis remissionem*. Et
1. Cor. 7. Apostolus: *Hoc autem dico, secundum Indulgentiam, non secundum imperium*.

Hinc clarè constat, Indulgentiam in scripturis remissionem, & condescensionem, significare: Primum manifestè apparet ex textu S. Lucæ; secundum ex Epistola ad Corinthios; ubi nomen Indulgentiæ, pro quadam condescensione accipitur. Utraq; significatione, multi ex Sanctis Patribus usi sunt, sicut *D. Hieronymus* in comment. ad 4. cap. Daniel. *D. Cyprianus* in sermone de lapsis. *D. Augustinus* in Psalm. 101.

Hinc malitia *Fidelis Admonitionis* infideliter procedentis, deprehenditur; quæ nos *misere cæcos* blaterando vocitat: ipsaq; *cæcior Leberide, cæca cæcis dux, cæcam præscriptionem, tradit:* & sine causa, detraxit sermonibus veritatis.

O pectora cæca!
Lucret. *Qualibus in tenebris vitæ, quantisq; periclis*
Degitur hoc, &c.

Nos verò, ut in veræ fidei cunabulis educati, neq; cœcum ducem, neq; amentem consultorem, habere cupimus: ad quid enim refert, *in canis podicem inspicere?* hi, & tales, *Fidelis Admo-*

nitionis

-sitionis Authores sunt, qui tantas in oculis lemas habent, quantæ in cucurbitis reperiuntur. O quam ridiculosa res est, aut magis periculosa, *speculator cæcus, doctor inscius, præcursor claudus, præco mutus.*

Quid Sacrum Concilium Tridentinum Indulgentias esse dicat?

Æcumenicum Concilium Tridentinum, Sess. vigesima prima cap. 9. Indulgentias *cœlestes thesauros* appellat.

At *Fidelis Admonitio* scripturam provocat, & cupit, reperiri ejusmodi thesaurum in Scripturis. Sed, & ibi manifestabitur à nobis, qui cum rectè sentiamus, loqui non metuimus, nec erubescimus; nihil enim est ad defendendum puritate tutiùs, nihil ad dicendum veritate faciliùs. Unde illa testimonia ex scripturis adferimus, quæ per Allegoriam de Indulgentiis, dicta sunt: dummodò in purgatum vas recipiantur: enimvero perniciosa est eruditio, si in animum inciderit pravis affectibus corruptum, & quo quæque disciplina sanctior, hoc fit perniciosior, si contigerit improbo.

Primum, in veteri testamento testimonium Allegorium est, *Num. 20.* ubi dicit Dominus ad Moysen: *Aperias thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesset murmuratio eorum.* In novo testamento, *Matth. 13.* dicitur: *Simile est regnum cœlorum, thesauro abscondito in agro, &c.* Regnum cœlorum communiter, Ecclesia Catholica militans interpretatur; nec fingas fictam interpretationem, cum innitatur authoritati, & doctrinæ Sanctorum Patrum, præcipuè D. Hieronymi & Gregorii. Hæc igitur, est *similis thesauro abscondito*, id est, *Indulgentiis*, quæ sunt absconditæ à sapientibus & prudentibus, id est, superbis, præsumptuosis, inflatis, hæreticis, iisq; omnibus, qui nolunt obedire Ecclesiæ; revelantur tamen parvulis, id est, pœnitentibus, & humilibus Catholicis. *Absconditus est in agro*, id est, in passione, & meritis Redemptoris, & Salvatoris Domini nostri JESU CHRISTI? Sanctissimæ DEI Genitricis, Virginis MARIÆ, & omnium electorum, à primo justo, usq; ad ultimum.

Dicitur verò hic thesaurus cœlestis, ad differentiam terrestris, de quo Salvator: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, &c.* Dicitur etiam cœlestis: *Quia, omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem, non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Hunc thesaurum, Dominus JESUS CHRISTUS, hinc abiens, in regionem longinquam, accipere regnum, & reverti; deposuit, servavit, & reliquit, in Ecclesia Catholica: claves autem cœlestes una cum admirabili virtute, & authoritate, tum dispensationem, cum magna prudentia, & fidelitate, credidit, & tradidit, summo Pōtifici Romano, suo Vicario, & Ecclesiæ Pastori, Petro.

Matth. 6.

Nec existiment, *Authores Fidelis Admonitionis*, hæc verba esse, aut, prout gariunt, mera figmenta, & nova hominum dogmata, hoc enim inferius patebit. Verum quid dicere debuerant illi quibus

Periere mores, jus, decus, pietas, fides,
periit pudor.

Sed dato quod Indulgentiæ, non contineantur formaliter in Sacra Scriptura, an non illis assentiendum esset, utpote quæ ex contentis in Sacra Scriptura deducuntur? *Trinitas* literis, & syllabis, formaliter non ponitur in textu, attamen virtualiter ponitur: *Baptizantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti:* eidemq; utpote supremo articulo fidei, assentitur. Status religiosorum non habetur in literis sacris, attamen virtualiter prædicatur. Obedientia, & paupertas, & continentia, & sic de aliis. Sed hæc *Scarabeo citius persuaseris*, quàm iis qui *pro Cœco exoculati sunt.*

Matth. ult.

CAP. III.

Merita Christi sunt thesaurus Indulgentiarum.

INdubitatæ veritatis hæc propositio est, Thesaurum Indulgentiarum, esse thesaurum superfluarum satisfactionum, seu meritorum, quatenus superfluæ, quoad officium satisfaciendi, propæna, actualib. peccatis, debita.

Hæ

Has ſuperabundantes ſatisfactiones, pro ſuo more, *Fidelis Admonitio* ibidem mira figmenta nominat: At non mirum, temeritati enim illius, rectè convenit omnia contemnere: Veritas tamen, nemini eſt contemnenda, quam ſibi non finxit, aut ſeminavit Sancta Romana Eccleſia; ſed ex Scripturæ S. authoritate, certaq; inde ratione, Sanctorum Doctorum ſententia, probata, habetur: quam ſic deducimus.

Meritum CHRISTI Domini, qui eſt Caput Corporis myſtici, ita ſe habet, ad membra ſui corporis, quod eſt Eccleſia; ſicut privatus homo, ad corpus ſuum; & ſicut quemlibet hominem dicimus mereri, nedum animæ ſed etiam corpori, ita & Chriſtus meruit ſibi, & nobis: ſibi gloriam corporis, & exaltationem ſecundum humanitatem. De gloria corporis dicitur: *Oportuit pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam.* De Exaltatione dicitur: *Humiliavit ſemetipſum &c. propter quod, & DEus exaltavit illum.* Hæc exaltatio, intelligitur ſecundum humanitatem, qua facta eſt glorioſior in reſurrectione, quia impaſſibilis, & immortalis. Nobis verò, meruit gratiam in præſenti, gloriam in futuro. Unde tam ampliſſimus erat, illius acerbiſsimæ necis, fructus, ut opus illius dicatur meritorium, ſimul & ſatisfactorium: Meritorium quidem ſibi, & nobis fuit, eo quo, dictum eſt, modo. Fuit identidem, & Satisfactorium, ſed ejus ſatisfactionis emolumentum, cum ipſe nullius eguit, totum penitus ad nos redundavit; eiuſq; ſatisfactio pro noſtra computatur, cõmutatur, & acceptatur. Luc. ult.

Et hoc eſt quod *Lutricolæ* negant, dicentes cum ſuo *Megalandro*, figmentum eſſe id, quod nos, nedum cum recentioribus, verum etiam cum veteribus Theologis, ſecernimus in opere Chriſti; Meritum ſcilicet, & ſatisfactionem.

At iſta non ſunt figmenta. Si enim aliquid præſtantiæ, operibus hominum conceditur, id operibus Chriſti, negare non licet. Atqui, prout inferius oſtendemus, opera ſanctorum hominum, maximè verò pœnalia, pro peccatoribus aliquando ſunt ſatisfactoria, ſimul & ſibiipſis, nihilominus meritoria: neq; enim fieri poteſt, ut quiſquam charitate ductus, aliquod opus, ſive pro vivis, ſive pro mortuis, ſive jejunii, ſive eleemoſinæ facit, mercede operis ſui fruſtretur. Dicitur enim, *Tu autem cum jejunas,*

Matt. 6. *unge caput tuum, &c. Et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.* Et quid aliud, nisi mercedem? Igitur velint nolint, *Lutricolæ cum suo idolo*, hæc in operibus, tàm Christi quàm ceterorum hominum, distinguenda esse, nempè meritum, & satisfactionem.

Quia verò *Lutherus*, quem secuta est *Academia Wittebergensis*, hanc distinctionem figmentum esse, dixit, & nullo eam argumento refutavit, ideo ut ipsius falsitas, & convicia adquæ sæpe convertitur, dum argumenta sibi solidiora desunt, appareant; hanc distinctionem, ex Sacra Scriptura, tali modo, demonstramus. In eleemosina, quæ est actio hominis justi, relucet, & satisfactio, & meritum: illa ratione quâ est opus laboriosum, & pœnale, dicitur esse satisfactoria, quâ verò est opus ex charitate factum, est opus meritorium: utrumq; probatur, ex Sacra Scriptura. Quod sit satisfactorium opus, patet ex illo textu: *Eleemosina ab omni peccato, & à morte liberat.* Et, *sicut aqua extinguit ignem, ita Eleemosina extingvit peccatum.* Quod sit meritorium, patet hinc. *Percipite regnum, quod vobis paratum est, ab origine mundi, Esurivi enim & dedistis mihi manducare.* Hoc idem patet de Jejunio, secundum authoritatem adductam superius, ubi dicitur: *Pater qui videt in abscondito, reddet tibi* supple, prout mereris.

Job. 4.
Eccles. 3.
Matth. 25.

Hanc, eandem distinctionem, benè scrutatus est D. Augustinus, in Oratione Dominica, cui satisfactionem quandam attribuit, dum dicit: *De quotidianis brevibus, levibusq;, peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio, satisfacit.* En expresse satisfactionem nominat. Nihilominus tamen meritum in eadem Oratione exprimitur, dum dicitur: *Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum &c. & pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.* Si ergo hæc, in opere alicujus pii hominis reperitur, distinctio, cur non in opere Christi? Quocirca, non sine authoritate Sacræ Scripturæ hæc distinctio, est facta, & non sine eadem, Romana Ecclesia Indulgentias fieri, ex thesauro superabundantium meritorum, seu Passionum Christi, determinâvit.

In Enchir. cap. 71.

At *Fidelis Admonitio*, clamosior lauro ardente, tantum clamat, quantum novies, deciesve, mille viri, clamare solent, qui præli amiscent. *Probetur*, inquit, *in Ecclesia dari talem thesaurum satisfactionum superabundantiarum.*

Dicimo

Dicimus itaq;, Christi Domini passionem ita esse meritoriam, ut, si Centies centena millium hominum nascerentur, ultra eos, qui fuerunt, vel unquam erunt; sufficeret tamen omnibus salvandis, unum ipsius Passionis Christi meritum; sicut etiam, sufficeret ad damnationem, unum peccatum Adæ, omnibus, etiamsi decies centena millium hominum nascerentur, supra eos qui unquam nasciturі sunt: hinc deprehenditur, illius meritum ita esse infinitum, quod nec usu, nec ablatione finiri potest, cum præterea, sit etiam actus personæ infinitæ, &, quod meruerit coram Patre æterno, per mortem & passionem suam, de toto rigore justiciæ. Hinc considerandum venit, an Christi passio, sit totaliter sibi remunerata, nec ne? affirmativum stare non potest, etenim, si totaliter, ad quid remuneratur in membris suis, videlicet, in baptizatis, qui non proprio, sed Christi merito, ad cœlestem perveniunt patriam? & hoc est, quod ratione harum passionum, non remuneratarum, immensus, & infinitus thesaurus, quæsitus, & inventus, in Ecclesia Catholica depositus, & conservatus est, propter utilitatem nascentium omnium in mundo.

Si autem objicere velis, illam remunerationem, quam manifestat D. Paulus ad Philip. 2. *Exinanivit semetipsum, factus obediens*, &c. *propter quod & DEus exultavit illum*, &c. Dico, hoc nihil concludere contra: Licet enim omnes passiones Christi, ea ratione, quâ sunt merita, habuerint aliquod præmium, nominis scilicet exaltationem, & gloriam corporis, ut Apostolus innuit (nam gloriam animæ essentialem & *plenitudinem gratiæ sanctificantis animam & corpus, habuit in primo instanti suæ conceptionis*) tamen, ea ratione, quâ sunt satisfactoriæ, ut opera bona, & pœnalia, nullam remunerationem præmii, in Christi persona habuerunt; eo quod ipse, nullum peccatum fecerit, in cujus satisfactionem, illæ passiones redundarent: ac proinde, si meritum spectemus, premio jam donatus est, quantum ad seipsum pertinet, cumulatissimo, relicta nobis interim amplissima, satisfactionis, gaza.

D. Tom. 3. p. q. 34. art. 1.

Hæc superabundantia passionum Christi pro nobis, quod fundamentum habeat in scriptura, potest videre *Fidelis Admonitio*, dum modo cæcutire nolit; dicitur enim: *Ipse est propitiatio pro*

1. Joan. 2. *peccatis nostris, non pro nostris autem tantum sed totius mundi.* Et,
1. Cor. 5. *Pro omnibus, mortuus est Christus.*

Hîc *Fidelis Admonitio*, deposita, aut certè ingenii crassicie, aut perversa malignitate, videat, passionem Christi sufficienter satisfacere pro toto mundo: debebit tamen fateri, secundum rei dignitatem, & veritatem, hanc satisfactionem, pro paucis tantum fuisse exhibitam per executionem; eo quod, non omnibus hominibus, qui hactenus vixerunt, precium mortis Christi, re ipsa, applicatum fuit, ad expianda eorum peccata: imo major pars morti æternæ addicta. *Multi enim sunt vocati, pauci electi.*
Matth. 20.
Matth. 7. Et, *lata est porta, & spaciosa via, quæ ducit ad perditionem, & multi ingrediuntur per eam.* Quò igitur illæ superabundantes passiones Christi; factæ, pro peccatis totius mundi, proficient? An conculcandæ? Conculcantur quidem ab Authoribus *Fidelis Admonitionis*: at Sancta Romana Ecclesia, thesaurum infinitum, qui nunquam exhauriri potest, ex his superabundantibus passionibus Christi satisfactoriis, coacervavit, & ad usum fidelium tradidit; ne sint satisfactoriæ infructuosæ: quod utique dicendum esset, si deessent hi, in quibus fructificentur. Et quia ipsi operanti Christo Domino, erant infructuosæ, ut jam dictum est, illique, qui satisfecit, satisfacere non possunt, restat ut utilitas eorum propria sit, satisfacere pro aliis & in aliis officium habere. Consentaneum igitur rationi est, quod hæ, satisfactoriæ passiones Christi, ad utilitatem aliorum membrorum Ecclesiæ per Indulgentiam ordinatæ sunt.

Videat igitur *Fidelis Admonitio*, quàm ineptè figmenta hæc esse dicat, videat hanc doctrinam concordari cum scriptura, quâ Authores *Fidelis Admonitionis* deteriores redduntur, non ob aliam causam, nisi quod doctrinam spripturæ, ab Ecclesia dextera porrectam, sinistra excipiunt, ob eamq; rationem, *Cæco lumen, surdo sermonem, sapientiam bruto offerre*, labor irritus.

CAP.

CAP. IV.

Merita Sanctorum, sunt itidem Thesaurus Indulgentiarum.

IN merito Christi Domini, omnia, omnium hominum merita, fundantur, tum, quia fundamentum aliud ponere nemo potest, quam quod est positum, CHRISTUS JESUS: tum, quia Christus Dominus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, perpetuò in suos virtutem influit, juxta illud Psalmistæ: *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, &c.* (Psalm. 132.) Ex his, tanquam satisfactoriis, quasi in petra firmissima, fundatur Ecclesiæ Catholicæ, thesaurus Indulgentiarum.

At *Fidelis Admonitio*, quæ nunquam desinit ubiq; strophas interserere, inquit: *Quod sancti etiam plus præstent, quàm divinitus præceptum est, & ex illis superabundantibus satisfactionibus, thesaurus quidam Indulgentiarum oriatur, mera figmenta, & nova hominum dogmata sunt. Probetur, sanctos plus facere, quàm meruerunt peccata propria.*

Attende, hæc non esse figmenta: Est enim differentia inter meritum, & satisfactionem sanctorum, quod etiam diximus de operibus Christi. Meritum enim, appellatur opus, ex quo operans dignus est æterna beatitudine, ita quod debetur illi *ex rigore justitiæ distributivæ, quantum ad substantiam, secundum quam, aliquis dispensator dat unicuiq; juxta suam dignitatem:* (D. Tom. 1. p. q. 21. ar. 1.) juxta illud quod Apostolus dicit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo, reposita est mihi corona justiciæ, quam reddet mihi Dominus, in illa die, justus judex.* (2. Tim. 4.) Et juxta illud: *Dignus est operarius mercede sua.* Et, *Unus quisquè mercedem accipiet, secundum suum laborem.* (1. Cor. 3.)

Satisfactio autem, appellatur voluntatis actus, estq; compensatio pœnæ, vel solutio debiti, illa enim ratione debitor pœnæ satisfacit justitiæ, quâ pœnam exoluit, cum adæquatione solutionis debiti.

Hac

Hac distinctione præmissa; dicimus, quod sanctorum opera, quatenus fuerunt meritoria, acceperunt mercedem suam in ipsis Sanctis, quoniam ipsis solis profuerunt; nemo enim est, cui non cumulatius præmium in cœlis DEUS largiatur, quàm hîc in terris ipse meruerit: & hoc est, quod scripturæ passim docent, cum dicunt: *Unus quisq; propriam mercedem accipiet* uti superius,
Psalm. 61. &c, *Reddet unicuiq; secundum opera sua*. Quatenus vero satisfactoriæ per superabundantiam fuerunt, non sunt remunerata in ipsis sanctis, sed relicta sunt remuneranda in nobis: Unde secundum hoc officium, quod est satisfacere pro pœna temporali, peccatis actualibus debita, remunerari non possunt in ipso sancto, si non est debitor, alicujus temporalis pœnæ, pro suo peccato actuali: ex hoc enim ipso, quod sanctus ponitur non debitor talis pœnæ necessariò sequitur, quod non sit capax talis remunerationis, scilicet, quod satisfactio valeat, ad absolutionem pœnæ pro se.

Supposito itaq; tanquam certo (quod postea probabitur) quod inter sanctos innumeri sunt, qui longè graviores pœnas, & ærumnas pertulerunt, quàm ad suorum suffecissent delictorum expiationem; oportet consequenter asserere, quod satisfactiones suæ, inquantum excedunt sua debita, non sunt remuneratæ in ipsis sanctis, quia ipsi non indigebant solutione pœnarum. Et licet asseramus, omnia ipsis esse plenissimè remunerata, quod attinet rationem meriti; quidquid enim inde meruerunt, totum eorum erit, sive sit præmium essentiale, sive accidentale: propter hujusmodi tamen remunerationes, non perdit actus ille officium suum, quod est solvere pro pœna temporali, actualis peccati, proprii, vel alieni; quoniam solvere pro se, vel alio, non est meritum, aut merces, aut remuneratio quæcunque, sed satisfactio. Plenissima itaq; remuneratio, quātumcunq; sit ultra condignum, non tollit â meritis Sanctorum, superfluum officium satisfaciendi, pro pœna temporali actualium peccatorum, si constat Sanctorum merita plus esse satisfactoria, quàm ipsi essent debitores.

Nunc ergo videant *Authores Fidelis Admonitionis*, id quod anxiæ quærebant, quod scilicet, multi ex sanctis plus satisfecerunt, quàm demeruerunt, & multo plura, propter DEUM perpessi sunt,

quàm

quàm exigeret reatus pœnæ temporalis, cui fuerunt obnoxii, propter culpas ab ipsis commissas.

Et imprimis, id ambiguum nemini esse potest, quantum ad Gloriosam Christi Genitricem, quæ nevo quovis, & labe caruit. Iste est sensus *Ecclesiæ, Sanctorum Patrum*, & *Concilii Tridentini, Sess. 6. Can. 23.* Ac proinde, nullis satisfactoriis eguit, & tamen satisfactoria multa subiit, & innumeratas, easdemq; acerbissimas perpessa fuit molestias, nam de ipsius dolore scriptum est: *Et tuam ipsius animam pertransivit gladius.* Luc. 2.

Fuerunt & alii, qui lethalibus noxis caruisse creduntur, ut Joannes Christi præcursor, & Jeremias, quos constat in utero Sanctificatos, vitam innocentissimam duxisse: ipsi tamen clades ac calamitates immensas, & absq; numero sunt perpessi, & tota eorum vita, duritèr ac severè acta, non exemplar pœnitentiæ, omnibus haberi non potest. Neque negaverim eos omnes, etiam longè supra quàm meruerunt esse remunerandos: Veruntamen haud dubito, quin quod in ærumnarum, quas tolerarunt cruciatibus, erat satisfactorium, non evanuerit penitus in aera. Nam DEUS ipse benignissimus, qui mala nostra semper vertit in bonum, non patietur hanc satisfactionem omninò perire, sed in aliquam haud dubie convertet utilitatem.

Job quoq; testatur idem: *Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret.* Ubi clare constat, Job plus passum fuisse, quàm pro peccatis suis debuerit pati, in superabundantia satisfactionum. Job. 6.

Quis etiam tam inops mentis est, ut dicat Sanctos Martyres, S. Laurentium, Vincentium, & reliquos, tanta passos, omnibus illis pœnis indiguisse, ut satisfacerent pro pœna peccatis suis debita. Hæc, & similia, alii Sanctissimi Prophetæ pertulerunt de quibus, *Alii verò ludibria, & verbera experti, insuper, & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, circuientes in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.* Hebr. 11.

Quid & D. Paulum memorem, qui forte nunquàm post
1. Cor. 4. baptismi gratiam, lethalem culpam admiserit. *Nihil mihi conscius*
2. Cor. 1. *sum.* Et, *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & sinceritate DEI, conversati sumus in hoc mundo.* Ex quibus verbis constat, quàm parum deberet pro suis ipse culpis satisfacere, quanta autem passus fuerit, liquet cum dicit:
2. Cor. 11. *Ministri Christi, sunt & ego, ut minus sapiens dico, plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* Et de omnibus generatim Apostolis,
1. Cor. 4. dicit: *Usq; in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus, operantes manibus nostris, maledicimur, & benedicimus, blasphemamur, & obsecramus, tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usq; adhuc.*

Non dubitamus præterea Sanctissimos Confessores, multum omninò satisfactionum in hoc Spiritale ærarium contulisse, ex fructibus pœnitentiæ plurimis, quos pertulerunt; longissimo tempore vitam sanctissimam, ac asperrimam ducentes.

Superfluunt igitur multa satisfactoria sanctis, ultra ingens pelagus superfluentis satisfactionis CHRISTI, qui pro totius mundi peccatis, satisfecit. Cum ergo nihil interea sine causa
Job. 5. fit, testante Job, *nihil frustra*, profectò, nec satisfactiones ejusmodi peribunt, at periissent certè, si nec eis, nec cæteris profuissent quicquam. Et quoniam illi, suæ satisfactionis fructum, nullis destinarunt personis certis, ideò fit, ut in commune totius Ecclesiæ emolumentum, cedant: & communis Ecclesiæ thesaurus dicatur. Quocirca, ex meritis Christi, & Sanctorum, quatenus satisfactoriis & superfluis, thesaurus Indulgentiarum constituitur, ut inde repẽdatur, quidquid cæteris ex justa satisfactione defuerit.

Unde finaliter concludimus, quod satisfactiones Christi & Sanctorum superabundantes, applicari possunt aliis, qui rei sunt luendæ pœnæ temporalis.

Hæc Conclusio est, ad mentem articuli Symbolici, *Communionem Sanctorum.* quo docemur, fideles omnes, mutuo esse membra: & sicut membra invicem se juvant, ita fideles, inter se

bona

bona sua communicare, præfertim illa, quæ uni superflua sunt, alteri utilia esse possunt. Et nemo dubitet, hanc esse intentionem Sanctorum, quod scilicet, fuerit pati pro nobis, testatur enim Apostolus: *Ego libentissime impendam, & superimpendar ipse pro vobis.* Et, *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo, quæ desunt Passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Et, *Omnia sustineo propter electos.* Ubi manifestè patet, divinam providentiam disposuisse, ut passiones aliquæ in carne Sanctorum, spectent ad complementum Passionum Christi, pro corpore ejus, quod est Ecclesia: & hanc divinam ordinationem, Sanctos adimplere suis passionibus superabundantibus, ad cōmunem Ecclesiæ totius utilitatem certum est. Nam si viventes participant mutuò in benefactis, secundum illud Psalmistæ: *Particeps ego sum omnium timentum te.* quis hoc negabit de Sanctis, ne illorum passiones, non prosint viventibus? 2. Cor. 12. Coloss. 1. 2. Tim. 2. Psalm. 118.

Si autem quis quærat, ad quid superabundans satisfactio Sanctorum ponitur, cum Crhisti satisfactio sufficientissima sit, pro toto mundo. Dicimus secundum multorum sentētiam Doctorum, hoc propterea esse, ut Christi membra, assimilentur capiti, Sancti scilicet Christo Domino: assimilantur itaq; Sancti Christo Domino, etiam in hoc, quod pro aliis passus est, dum & ipsi, qui patiuntur, plus quàm demerentur, pro aliis satisfaciunt.

Quare æqvum est, ut ille passiones Sanctorum, coram Deo non sint inanes, sed redundent in honorem Christi: per hoc enim efficacia meritorum Christi, magis elucet, quia non solum per se possunt expiare peccata, & reatum peccatorum, sed etiam efficiunt, ut merita Sanctorum, vim habeant expiandi reatum pœnæ temporalis. Unde DEUS voluit, ut unusquisq; nostrum, propriis meritis, coronam vitæ sibi acquirat, juxta illud, *Non coronabitur, nisi qui legittime certaverit*, non quod Christi merita non sufficiant, sed quia id nobis utilius, & Christo gloriosius est. 2. Tim. 2.

Hic iterum videat *Fidelis Admonitio* quàm longè aberraverit, dicēs: *Hæc figmenta esse, extra scripturas tradi, non ex scrîpturis deduci.* At, hæc illius lingva, non redarguta, non est miranda; seqvuta n. suum, *frontis perfrictæ Megalandrum*, id cum ipso protervè docet. *Qui enim semel verecundiæ fines transiierit, eum bene, & naviter, oportet* Cic. ad L. Luc.

portet esse impudentem. Impudens fuit Lutherus dicens nos hæc, quæ nuper probavimus, nullis scripturis posse probare, sed sola impia illa Extravaganti, Clementis Sexti, ex opinionibus Thomæ insulsissimis, & meris figmentis, concepta.

Semper *Lutherum* ψεῦδος *decet*, nam, *qui semel à veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium, quàm ad mendacium,* Cic. in Off. *perduci consuevit.* Ut interea nihil de Sacra Scriptura dicam; quàm, si non Cœcior est talpa, videt, similiter nihil de Extravagante, quam tàm contumeliosè vocat impiam, mirum tamen in modum, videtur mihi Lutherus superasse Aristogitonem, Oratorem Athenienſium, qui ob impudētiam canis vocatus est. O quam Egregius Orator Lutherus, dum doctrinam Sancti Thomæ, velut insulsissimas opiniones contemnit! & nihil aliud eas facit, quàm mera figmenta. At nemo compos mentis est, qui non pluris D. Thomam æstimet, quam Lutheros mille, cum tota caterva Professorum Wittebergensium.

CAP. V.

Solus Papa habet plenariam potestatem dandi Indulgentias.

Fol. 195. CONquæritur *Fidelis Admonitio* dicens. *Quod Papa habeat potestatem applicandi thesaurum satisfactionum. Unde probabitur ?*

Quasi vero hæc, à gravissimis Doctoribus non fuerint probata. Et ut talia appareant, Dicimus, opera satisfactoria, ex quibus constat thesaurus Indulgentiarum, esse velut quædam bona communia, ipsius Ecclesiæ, utpote pro ipsa facta, & relicta. Conveniens igitur erit, ut ad eum, qui totius Ecclesiæ curam habet, spectet dispensatio dicti thesauri. Nam, in omni Republica, benè constituta, pertinet ad Principem Reipublicæ, dispensare communia bona, & in satisfactionem alterius, si videbitur expedire utilitati ejusdem. Hic autem dispensator nō alius est, nisi Petri successor, qui solus præest toti Ecclesiæ, Pontifex Romanus, visibile caput Ecclesiæ, à DEO dependens, gubernans omnia, quæ attin-

git à

git à fine usq; ad finem, fortiter, & disponit suaviter, dispensans, estq; SS. D. N. Summus Pontifex, Urbanus Octavus, Papa Romanus, feliciter modernus. Sed hic continuò *Fidelis Admonitio* novam, jam pridem solutam difficultatem ingerit, dum dicit: *Præterea præsupponunt ulterius Petro demortuo in ejus locum & officium Papale successisse Romanos Episcopos, quæ nova principii petitio est, & demonstrari potest minime, quod Petro aliquis in primatu (cum nullum ipse habuerit vel exercuerit unquam) successerit, & successor iste semper Romanus fuerit Episcopus. In primitiva Ecclesia de tali capite & Petri successore nihil quicquam auditum est, primiq; Romani Episcopi pro talibus non sunt habiti*, sed video quod Fol. 136.

Nullus, semel ore receptus
Pollutas patitur, sanguis mansuescere fauces.

Novam petitionem principii dicit, dum satis evidenter à nostris probata, videre contemnit. & probanda cupit. Sed *Fidelis Admonitio* suis pulverem oculis suffundit, dum de industria rem obscurat, & id, quod sole clarius est, palpare vult in tenebris. Si præsentis esset negocii, an Petrus habuerit aliquod exercitium, in primatu, & successor ejus sit Romanus Pontifex, ostédere, non esset difficile nobis in medium afferre, quod conscientiam (*ut verbis Fidelis Admonitionis utar*) Christiani solidè tranquillet, sed *quid cæco cum speculo?* Malunt *Authores Fidelis Admonitionis* defece haurire, quam rationes, ex Sacra Scriptura à multis Orthodoxæ fidei petitas, electro lucidiores, Primatum Petri, & successionem Episcoporum Romanorum adstruētes, videre. Fol. 127.

Illud tamen obiter nobis hic dicendum venit, quid sibi velint verba: *Fidelis Admonitionis. In Primitiva* (inquit) *Ecclesia, de tali capite, & Petri successore, nihil quidquam auditum est, primiq; Romani Episcopi, pro talibus non sunt habiti.*

Apparet *Admonitionem*, esse extra legem Persarum, qui inter peccata duo gravissima numerabant: Prius esse debitorem, alterum mentiri. Nihil audit, *Fidelis Admonitio* in primitiva Ecclesia, de Capite ejusdem, & Petri successore. *Dele tantum literas, Magis quam Scripturas, quas diabolus in tua impressit anima, & fer mihi cor à vita hujus tumultibus liberum, tunc auris tua bona, erit libenter audiens utilia, prudenter discernens audita, obedienter operans intellecta.* Chrisost. super Matth.

 Sed

Sed parum refert, quod *Fidelis Admonitio*, nil audierit de tali capite, & Petri successore: Audiverunt Sancti, qui proximè Apostolis successère, majores nostri, tâm doctrinâ quàm vitæ sanctimoniâ, spectatissimi. Audivit *Divus Hieronymus*, qui sic ad Damasum Papam, scripsit: *Quoniam* (inquit) *vetusto Oriens, inter se populorum, furore collisus, indiscissam Domini tunicam, & desuper textam, minutatim discerpsit, ideo mihi cathedram, & fidem Apostolico ore laudatam, censui consulendam.* Et iterum ad eundem: *Beatitudini* (inquit) *tuæ, id est, Cathedræ Petri, communione consocior, supra illam petram, ædificatam Ecclesiam scio.* Et rursus ad eundem: *Emendari cupimus à te, qui Petri sedem tenes, & fidem.* Et alibi: *Si quis Cathedræ Petri jungitur meus est.* Unde D. Hieronymus dicit se: *Vitalem non nosse, Miletum respicere, Paulinum ignorare, quippe qui sedis hujus, & Cathedræ erant adversarii, sed & demum cunctos affirmat spargere, hoc est schismaticos esse, & extra Ecclesiam qui eum successore Petri non colligunt.* Item, ad Euãdrum Præsbyt. *Non altera Romanæ Urbis Ecclesia, altera totius orbis æstimanda est.* Vides *Fidelis Admonitio*, quod D. Hieronymus audiverit de Cathedra Petri, & quantum tribuat ipsi, ejusq; successoribus.

Audivit & *Divus Cyprianus*, qui Cornelio summo Pontifici Romano scribens, eundem animat ad perferendas minas & terrores, quos incussere Novatiani tandem subdit: *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quàm inde, quod Sacerdoti DEI non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex, vice Christi cogitatur: cui si secundum magisteria divina obtemperaret fraternitas universa, nemo adversus sacerdotum collegium quicquam moveret, nemo post divinum judicium, post populi suffragium, post Coepiscoporum consensum, judicem, se non jam Episcopi, sed DEI faceret, nemo dissidio unitatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens, ac tumens, seorsum foris hæresim conderet.* Hæc Cyprianus.

Et quid *Fidelis Admonitio* ex verbis Cypriani audis? Certe non aliud nisi quod debeat unus ad tempus in Ecclesia sacerdos esse, qui sit judex habendus, vice Christi, cum sit divino firmatus judicio, populiq; suffragio, demum Coepiscoporum consensu, Huic, si & tu, & cæteri obtéperarent, nullæ hæreses, nulla schismata, nullaq; intra Ecclesiam nata dissidia, durarent diu.

Vide

Vide & *Divum Augustinum*, quantum tribuit Cathedræ Petri, quæst. 110. Veteris & novi testamenti Cathedram pestilentiæ vocans eorum, qui vel extra Ecclesiam, vel contra Ecclesiam sedes sibi instituerunt, & fidem asserit eos usurpare Petri, cujus tamen traditionem corrumpunt, *Nam & ordinem*, inquit, *ab Apostolo Petro captum, & usq; ad hoc tempus per traditionem suadētium Episcoporum servatum, perturbant; ordinem sibi sine origne vendicantes, hoc est, corpus sine capite profitentes. Unde congruit etiam, eorum fidem, Cathedram pestilentiæ appellari.* Idem adversus Epistolam Manichæi dicit: *Tenet me ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usq; ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum. Tenet & ipsum Catholici nomen, quod non sine causa, inter tam multas hæreses sic ista sola Ecclesia obtinuit.* Hæc Augustinus, quem gremio Ecclesiæ, successio Romani Pontificis retinuit.

Huic veritati, adstipulantur & Græci Doctores, è quorum multitudine, unum, *Divum Athanasium* provoco, qui testimonio Lutheri primo inter Patres fuit, quiq; ad Marcum, Romanæ Urbis Pontificem, sic ait: *Optamus, ut à vestræ Sanctæ Sedis Ecclesiæ authoritate, (quæ est mater & caput omnium Ecclesiarum) ea ad correctionem & recreationem fidelium Orthodoxorum, percipere, per præsentes legatos, mereamur: quatenus vestra fulti authoritate, vestrisq; precibus roborati, illæsi à memoratis æmulis, Sanctæ DEI Ecclesiæ, & nostris evadere, nobisq; commissos eruere, valeamus.* Hæc Athanasius.

Mirabile igitur est, cum ista *Fidelis Admonitio* non ignoret, aut saltem nosse debuerat, cur tam parum tribuat Romano Pontifici? Utiq; Caiphas, qui Moysi Cathedram occupavit, quanquam avaritia, & ambitione, ac simonia corruptissimus fuerat, tamen, quia Pontifex illius anni erat, verum judicium Judæis protulit. Cur *Authores Fidelis Admonitionis*, & quidem Christiani, idem non faciunt, & pro rei veritate, Petri Cathedram legittimum habere successorem, Romanum Pontificem non asserunt? Fateris *Fidelis Admonitio*, quod DEUS excitaverit Megalandrum, Lutherum, cujus vita secundum Erasmum (ut ais) magno omnium consensu probatur, cur ipsum non imitaris in sententia, de authoritate Sanctorum Patrum, quos tibi nuper recensui, ad adstruendam

endam

endam succeſſionem Petri? Rectè enim Seneca dixit: *Qui imitatur Doctores, dabit operam, ut ſimilis illis ſit.*

Vide igitur tuum ἀρχέτυπον Lutherum quid in hac materia ſentiat, *Proteſtor* (inquit) *me prorſus nihil dicere, aut tenere velle, niſi quod in, & ex ſacris literis, primò, dein Eccleſiaſticis Patribus ab Eccleſia Romana receptis, huc usq; ſervatur, & ex Canonibus, ac decretalibus Pontificiis habetur, & haberi poteſt.* Cur non & Authores tui, qui ſunt de grege illo, ejusdem farinæ, iisdem veſcentes cepis, idem fatentur? At video verum eſſe, quod ſimia non capitur laqueo, ſpreta enim hac proteſtatione Lutheri, ſeqvuta eſt ipſum, prout in alio loco, de priſtino ſtatu dimigravit, & *modo palliatus, modo togatus* apparuit, cum dixit: *Qua autem* (inquit) *ſecuritate poſſumus, alicui Patrum niti, quem cõſtiterit ſæpius erraſſe, ſibi & aliis pugnaſſe, ſcripturis vim feciſſe.* Ita Lutherum decet, ſicut Afriam, quæ ſemper novi aliquid apportat. Unde ſicut Mulus, ex equo & aſina conflatus, neq; eſt eqvus nec aſinus; ita Lutherus, per primam proteſtationem, neq; eſt Eccleſiaſticus, nec per ſecundam revocationem Aulicus, ſed *Cothurnus.*

Poſthabitis igitur iſtorum tergiverſationibus, aſſerimus Eccleſiæ Paſtorem Romanum Pontificem, eſſe diſpenſatorem theſauri ſatisfactionum, ac per hoc diſtributorem Indulgentiarum.
Matth. 16. Probatur evidenter, illo teſtimonio Salvatoris: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunq; ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quidquid ſolveris,* &c. Origenes ſuper Matthæum dicit: *Solus Petrus* (inquit) *Romanus, claudit & aperit regna cœlorum, alij vero ab eo miſſi claudunt & aperiunt regna cœlorum.* Quibus verbis CHRISTUS Dominus, Petrum cæteris præpoſuit, & ampliori voluit authoritate donari.

Forte *Authores Fidelis Admonitionis volunt*, cum Luthero, extenuare hæc verba, dicentes: eadem omnino eſſe, quæ cæteris dicta fuerant Apoſtolis, ſed palam conſtat rem, aliter ſe habere; licet enim dixerit Matthæi 18. *Amen dico vobis, quæcunq; ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunq; ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Non tamen aliud hinc inferri poteſt, niſi quod in his, diviſum omnino poteſtatis gradum, voluit deſignari: ille autem primus ſermo, ad ſolum Petrum pertinet,

ut ſtatim

ut statim ostendam; ejusq; potestatis amplitudinem demonstrat, quæ ad omnes cœlos extenditur: hic verò secundus, qui concernit omnes Apostolos, non usq; adeò latè patet, sed ad unum duntaxat cœlum.

Quoniam igitur Petrus, in successoribus semper in Ecclesia repræsentatur, & in cæteris Episcopis, Apostoli, quibus deinde subsunt Sacerdotes, quis non advertet ex iis, compositissimum ordinem in Ecclesia constitui, & cuiq; pro suo gradu, congruam collatam esse potestatem? Neque enim Christus, qui Dei virtus, & sapientia est, quiq; nec jota quidem protulit unquam; absq; justa ratione; absq; causa credendus est toties, in altera propositione cœlos ingeminasse pluraliter, in altera non nisi cœlum singulariter, nisi ut divisum gradum, potestatis Petri, & Apostolorum designasset.

Præterea, solus Matthæus Evangelista, utramq; propositionem nobis tradidit. Non est verisimile, quod idem Evangelista, tanta verborum diversitate, duas has sententias, uno solo capite distantes, extulisset, si censuisset eas, ad eandem omnino rem pertinere, & non variam in his exprimi potestatem.

Sed & illud ad rem haud parum conferet, si exquiramus, quanam occasione Christus illa verba primæ propositionis, protulerit; nam ex ea magis perspicuum erit, quod asserimus. Postquam enim Petrus palam fuisset cōfessus, CHRISTUM esse filium DEI, pro merito confessionis hujus, audivit à CHRISTO vicissim ad se dictum: *Beatus es Symon Bar Jona*, &c. & dato, quod hoc mysterium fuerit omnibus revelatum, solus tamen Petrus illius testimonium reddidit, propter quod audivit subjunctum à Christo: *Et ego dico tibi.* CHRISTUS sine dubio omnes interrogavit, quemnam se crederent esse, sed quia solus Petrus confessus est soli Petro vicissim responsum: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.* Solum ergo Petrum allocutus est Christus, cum nemo cæterorum vocatus sit Petrus. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus*, &c. & subjungit: *Et quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cœlis.*

Hæc pro merito suæ confessionis, Petro dicta fuerunt, per quæ collatum est illi supremum tribunal, Ecclesiasticæ potestatis,

 ad regen-

ad regendam omnem Ecclesiam, & judicandam summa cum potestate, loco CHRISTI. Idemq; ei ultimatè exhibitum est, dum
Joan. 21. post resurrectionem Domini, audivit: *Pasce oves meas.* Quemadmodum ergo Petrus, ut supremus Vicarius CHRISTI, potest applicare Christi Passionem & Sanctorum, quatenus sunt absoluti à pœnis temporalibus culpæ debitis; ita etiam id in dubiè dicendum est de summo Pontifice, successore Petri: de cujus successione, sicut antea D. Augustinus, ita & nunc omnia membra viva, veræ Ecclesiæ gaudent. Verum sicut talpa, terra supercapta, oculis stellas, ita *Fidelis Admonitio* hæc videre, non potest.

CAP. VI.

Remissa culpa, remanet debitum luendæ pœnæ.

HUnc scopum Indulgentiarum esse dicimus, quot sint ordinatæ à DEO in Ecclesia, ad amovendas, & avertendas pœnas, & plagas temporales, tanquam remedium spirituale, quo authoritate & gratiâ summi Pôtificis, clavigeri, redimuntur & persolvuntur.

Fidelis autem *Admonitio*, multum inficiatur huic veritati, dicitque? *Quod remissa culpa, maneat debitum luendæ, & vicissim ad inventiones sunt humanæ, non revelationes divinæ, extra Scripturas traduntur, non ex Scripturis deducuntur (& infra) Probetur, remissa culpa manere debitum luendæ pœnæ.* Hæc eadem *Lutherus* ante objiciebat, quod scilicet nulla authoritate Scripturæ, Doctorum, Canonum, ut ratione probabili, potest doceri, talem esse aliquam pœnam. Et vehementer absurdum esse dicit, quod in Ecclesia quicquam doceatur, cujus nec in Scriptura, nec in Doctoribus, nec in Canonibus, neque saltim rationibus, potest causa dari. Hæc Lutherus.

Imaginatur ergo *Lutherus*, quod pœna peccatis prioribus debita, una cum culpa condonatur, atque id sive per fidem, sive per cujuscunq; Sacerdotis absolutionem. Hoc secum Lector expendat, an Luthero securiùs credatur, qui cuiq; Sacerdoti, tantam tribuit potestatem, ut à pœna, simul, & à culpa, solvat peccatorem

catorem etiam sceleratissimum; an Ecclesiæ potius, quæ fulta authoritate Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, Canonum, ac fortissimarum rationum, indubiè asserit, post deletam à Sacerdote culpam, remanere adhuc pœnam, quæ per quemcunq; legittimum Petri successorem, condonari potest? Verum, si Luthero non credimus, nihilo plus discriminis inde nobis imminebit, quàm si cuilibet ex infimis fabularum Scriptoribus, non crediderimus: deinde, si credamus Ecclesiæ, docenti nonnullas in peccatore post condonatam culpam reliquias manere, tanto magis ad molestias pœnitentiæ subeundas, & cum exactiori sollicitudine suscipiendas, ipsi stimulabimur.

Quocirca *sibi*, *& Authoribus Fidelis Admonitionis*, respondemus; his omnibus modis peccatorem ad pœnam tenere, ne putent scripturas nobis in hoc negocio deesse.

Incipiamus ergo à primo homine Adam, quis dubitare potest illum (qui tanta fuerat sapientia præditus) post offensam statim resipuisse? An forte juxta Lutherum, illico fuerat à pœna peccato suo debita liberatus? dat illi DEUS benedictionem, absolvit à culpa, & promittit semen cotriturum caput serpentis; attamen dimissa culpa in Paradiso, pœna pro peccato non fuit dimissa, sed expellitur è Paradiso, in hanc lachrymarum vallem, ubi multæ pœnæ secutæ sunt, bella, homicidium, infirmitates, &c.

Deinde Moysi & Aaron dictum est: *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me, non introducetis populos istos.* Num credit *Fidelis Admonitio* cum suo Megalandro, eos diu ante non fuisse reconciliatos in gratiam? remansit tamen in utroque pœna peccato debita, unde & ambo tam severe puniti sunt, ut neuter eorum, terram promissionis ingrederetur. Deut. 32.

An non etiam Fratres Joseph Patriarchæ, diu postquam hunc vendiderāt, pœnas facti sui dederunt in Ægypto? ut & Ruben clamaret: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Et tamen credibile non est, Patriarchas tantos nunquam interea pœnituisse, neq; culpam eis fuisse dimissam. Genes. 42.

Num. 12. & 14. Sed, & Maria soror Moysi, infamem morbum meruit, sive lepra secundum faciem percussa est, quia contra Moysen fratrem suum murmuravit, cui tamen DEUS culpam condonaverat.

Quid Heli memorem, qui cum audisset à Propheta Samuele, negligentiam suam acerbè puniendam, respondit cum patientia: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* Credibile videtur, quod citò pœnituerit, quod ex tanta conformitate suæ voluntatis ad divinam facile colligitur: pœna tamen subsecuta est, quia non amplius erat in potestate illius, corrigere filios.

1. Reg. 2.

David quoq; contrito corde, peccatum proprium deflens, responsum à Nathan Propheta audivit: *Dominus transtulit peccatum tuum.* Post culpæ tamen remissionem, pœna luenda remansit. Nam Amon filius David sororem Thamar fædasse dicitur, & idem iste Amon occisus, & Absolon Patrem regno pepulit, qui tandem lancea transfossus, miseram coactus est mortem subire. Idemq; David ob numeratum populum, pœnitentiam agit, & à DEO in gratiam recipitur, & tamen post remissam culpam, datur illi optio, ut èligat pœnam peccati, bellum famem, aut pestem.

2. Reg. 12.

Respondeat hìc nobis *Fidelis Admonitio*, si post remissam culpam, nihil sit in peccatore quod expietur, cur David cui de remissa culpa erat compertissimum, tanto tempore seipsum afflixit, & per singulas noctes, tanto lachrimarum imbre, stratum rigavit suum? Et alibi dicit: *Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.* Et paulò post: *Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.* Cur tàm attentè, singulis, ferè momentis, de peccato suo cogitavit? Et denique cur petiit deleri sibi iniquitatem, atque amplius à peccato suo lavari?

Psalm. 6.

2. Paral. 26. His addendus est Ozias Rex, quàm gravem meruerat offensam DEI, eo quod sacerdotium sibi usurpaverit; correptus à Sacerdotibus, mox pœnituit eum facti, & cum illi dimissa fuisset culpa, remansit tamen temporalis pœna, nam miseranda lepra percussus, quamdiu vixit leprosus fuit, & in domo seorsum habitavit, relicta filio suo regni sui gubernatione.

4. Reg. 20. & Isai. 38. Demum Rex Ezechias, quia legatis Regis Babiloniæ thesauros domus suæ reseravit, in filio Manasse pœnam dedit: Nam

Manasses

Manasses carcere Babilonico mancipatus, veram fuisse Isaiæ sententiam comprobavit.

Simile quid in Achab rege accidit, cum enim impii in Naboth homicidii patrati, ab Elia Propheta graviter argueretur, pœnituit eum sceleris, & in cinere & cilicio pœnitentiam egit, cui dimissa est culpa sed pœnas tanti facinoris, tota ejus posteritas dedit, quæ extincta fuit; ipse quoq; interemptus est. 3. Reg. 21.

Neque illud est prætereundum, quod Zachariæ Prophetæ contigit: Quis enim credat, cum esset vir sanctissimus eum non suæ protinus in credulitatis pœnituisse, ac in gratiam cum Deo rediisse? Non fuit tamen sublata pœna mutitatis inflictæ, priusquam filius ei natus fuisset. Luc. 1.

Hoc idem Christus consulere videtur, *Verum tamen*, (inquit) *quod super est date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Luc. 11. In quo, non de purgatione culparum Christus est locutus, sed de reatu pœnarum, pro quarum expiatione Eleemosynæ, inter cætera satisfactoria opera, numerantur. Sunt quoq; in eorum numero, Oratio, jejunium, & proprii corporis austeritas, & rigor, *Si nos ipsos dijudicaremus, non utiq; judicaremur.* 1. Cor. 11.

Ubi sunt ergo, qui audent asserere, post culpæ remissionem nihil pœnarum luendum, & purgandum remanere? An non vident in omnibus iis scripturis apertum esse, quod pœna quædam peccatis remansit debita, quanquam culpa pridem remitteretur? Viderent si uterentur, sed quia abuntur scriptura, hanc veritatem videre nolunt; Unde quemadmodum vinum sanos juvat, & cor hominis lætificat febricitantibus verò, si sumpserint, continuò interitum parit, ita scriptura nobis vitam, fideliter vero *admonentibus* perniciem confert.

Quid vero Patres in eadem re testentur, memorabimus: Ii, utpote Orthodoxi, compertissimum habuerunt, in peccato propter reatum, pœnam insuper peccato debitam contineri.

Et imprimis *Athanasius* in libro de blasphemia in Spiritum Sanctum sic ait: *Inter Baptismum & Pœnitentiam hoc inter est, quod cum pœnitentiam quis agat, cessat quidem à peccando, sed habet vulnerum cicatrices, qui vero baptizatur, veterem quidem hominem exuit, renovatur autem ut denuò renatus, per Spiritus Sancti gratiam.*

Et *Basi-*

Et *Basilius* in Homilia de Pœnitentia: *Est spes post peccatum*, (inquit,) *est sanatio post ulcus, sed manet cicatrix.*

Justinus quæstione 79. *Cum omnium Regum Israelitarum, & Judeorum ardentissimum religionis studium præstiterit Josias*, (inquit) *qui factum est, ut gentili gladio vitam cum morte commutavit? In causa* (inquit) *fuit, quod non obtemperavit Hieremiæ præcepto, qui ei jussu DEI nunciaverat: ne in prælium exiret: Ut igitur eum purum à peccatis reciperet, suæ inobedientiæ gladio gentili pœnas dedit.*

D. *Ambrosius* ad quandam corruptam ait: *Peccator ergo, si sibi ipsi non pepercerit, à DEO illi pacitur: Etsi futuras pœnas gehennæ perpetuas, in hoc parvo vitæ spatio compensaverit seipsum ab æterno judicio liberabit Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.* Idem de Pœnitentia: *Qui enim agit pœnitentiam, non solum diluere lachrimis debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta superiora; ut non ei imputetur peccatum.* Et Sermone 15. *Nos quoq;* (inquit) *si tam grave peccatum fuerit, ut minimè solis fletibus abluatur, addamus misericordiæ oleum, acrimoniamq; jejunij. Nullum autem tam grave delictum est, quod non purgetur abstinentia, Eleemosynis extingvatur, ista est*
Matth. 3. *satisfactio quæ alio nomine sic vocatur. Facite dignos fructus Pœnitentiæ.*

D. *Chrisostomus* de Lazaro Concione 3. *Vides* (inquit) *quomodo hîc inflicta pœna, liberet à pœna quæ illic est; Unusquisq; igitur se puniat, cruciet, affligat, ut depositis peccatis, multa cum fiducia, ad vitam æternam proficiscatur.*

D. *Gregorius*, Cogitandum summopere est, ut qui se illicita meminit commisisse, *quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo, satisfaciat.*

D. *Cyprianus*, Tractatu 5. de Lapsis. Orare oportet impensius, & rogare diem luctu transigere vigiliis noctes ac fletib. ducere tempus omne lachrimis lamentationib. occupare strato solo adhærere cineri in cilicio volutari & sordibus post indumentum Christi perditum nullum jam velle vestitum post Diaboli cibum malle jejunium justis operibus incumbere quibus peccata purgantur Eleemosynis frequenter insistere quibus à morte animæ liberantur.

D. Augu-

D. *Augustinus*, de peccatorum meritis & remissione, libr. 2. cap. 34. recte colligit: *Si dimissa culpa, nullus reliqvus esset ad pœnam reatus, Adam profecto mortuus non esset teste Salomone, Sap. 10. Eduxit eum Dominus DEus à delicto suo, atq; ita dimisso illo delicto, mors quæ est stipendium delicti, jam in eo locum habere non poterat.*

Item: *Gravius est peccatum mortale actuale, quàm originale.* Et paulo post: *Sed remota culpa originali, per baptismum, remanet ejus reatus, carnis scilicet cōcupiscētia, multo ergo magis dimissa mortali culpa per pœnitentiæ Sacramentum remanet pœna temporalis.*

Item libro de Pœnitentiæ Medicina, cap. 2. *In hac* (inquit) *Pœnitentia majorem in se securitatem unusquisq; debet exercere, ut à seipso judicatus, non judicetur à DEO.*

Quod si & vetustiores adhuc requirat *Fidelis Admonitio*, Ecce, & Origines Homilia 8. super Levit. ait. *In vulneribus* (inquit) *corporum, postea quam curata fuerint, remanet interdum ipsius vulneris signum, quod cicatrix appellatur.*

Hæc breviter ut non libros Patrum describamus. Quorum sententias si *Authores Fidelis Admonitionis* ignorent, quanta est hominum inscitia? quod si norint, quanta eorum cum Megalandro impudentia, qui tot Sanctissimis, iisdemq; doctissimis Patribus, contradicere, palamq; negare, quod nec per Scripturas, neq; per Doctores posset ostendi, aliquando ejusmodi pœnam, peccatis esse debitam, non verentur.

Provocat deinde Lutherus Canones, quos si uti par est, non contempsisset, nunquam cum tanta pernicie deviasset. Verum ante Canones, id quod Divus Legislator Moyses non ignoravit, memorandum duxi: *Pro mensura peccati* (inquit) *erit & plagarum modus.* Quem locum Origines Homil. 8. explicans dicit in hunc modum: *Si peccator sum, numquid eadem erit mihi pœna, si semel peccavi, quod si secundo, & tertio, ac frequentius peccem? Non ita erit, sed pro modo & numero, & mensura peccati, etiam pœnæ quantitas metienda est.* Et infra: *Sicut igitur ad justiciæ decorem spectat, ut pro benefactis, probi justum suscipiant præmium, ita & pro noxiis, improbi pœnas dent commeritas.* Deut. 25.

Hujus nostri propositi, etiam Canones comprobant veritatem, sic enim dicitur Canone de Pœnitentia distinctione: *Si sui*

Judices,

Judices, (peccatores) *fiant & veluti suæ iniquitatis ultores, hic in se voluntariam pœnam, securissimæ animadversionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lachrymis ex vera contritione fluentibus, extingvent æterni ignis incendia.*

Eadem distinctione dicitur: *Si temetipsum emendaveris, si te ipsum correxeris, pius est Dominus, & misericors, qui vindictam temperet abeo, qui illam pœnitendo prævenit.*

Et rursus de Pœnitentia distinctione 34. *Productior enim est pœna, quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna ac per hoc, vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem necessariæ pœnitentiæ, temporaliter detinet hominem pœna, quem jam ad damnationem æternam reum, non retinet culpa.*

Multa sunt in Canonibus, id genus alia, quæ apertè monstrant, manere pœnam debitam remissa culpa. Nihilominus tamen, sicut statua basi, ita *fideliter Admonentes* instituto innixi, à pertinacia nulla tenus decidere volunt. Quid si verò his fidem adhibere nolunt, quæ evidenter apparent in scripturis, quomodo id probari vult Lutherus ratione? an forte majoris authoritatis apud eundem ratio, quàm Sacra Scriptura? Utinam extremæ maliciæ homines, qui nunquam, aut rarò fiunt meliores, si non scripturâ, saltim ratione ad veritatem adducantur. Hæc igitur est ratio, quâ nostrum propositum probamus. Peccatum non punitur per hoc, quod remittitur quoad maculam, sed omni peccato debetur pœna, secundum divinam justiciam, ergo post dimissionem maculæ, remanet reatus pœnæ. Minor est Sacræ Scripturæ, ubi supra, *Pro mensura peccati, &c.* & in Apocalipsi:

Apocal. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit tantum date ei tormentorum & luctuum.*

Si dicere volunt ad majorem, quod per remissionem maculæ, tollitur omnis pœna, & sic nullus illius reatus remanere potest. Mirarer tantam subtilitatem, quam quia non audio, non arguo: dico tamen, quod dum peccatum remittitur quoad maculam, remittitur etiam quoad pænam æternam, quæ dicitur exterminans, sed non quoad temporalem, quæ est corrigens, hæc distinctio est multorum Theologorum, *præcipuè S. Thomæ*, quam

Professo-

Professores Wittebergenses, si non Theologi muti sunt, concedere debent. Plures rationes ad probandam rem luce meridiana clariorem, non visum est conveniens adferre his enim diligenter pensatis, non est in quibus hæc veritas redarguatur.

At instant, quod DEUS remittat culpam & non pœnam temporalem, est blasphemare DEI bonitatem, dimisso enim majori, multo amplius dimittitur quod minus est.

Respondemus hanc futilem esse instantiam, Nam Origenes super hæc verba, Num. 14. *Annus pro die imputabitur* ait. Vulnus corporis, aut fractio ossis, aut pedis, unica hora vel die fit, cura tamen ejus multos dies, & plurimum temporis exigit. Multo amplius vulnera animæ, non propterea medicus impius est, quia non potest tam brevi tempore curare vulnus, quemadmodum inflictum est brevi tempore, ob id etiam congrua ratio est, ut vulnus pro qualitate plagæ medendi spacia accipiat. Longiorem autem esse in hac vita pœnam, etiam culpa dimissa, DEUS voluit non absq; ratione. Primo ut homo agnoscat, quam ardua res sit peccare in DEUM, ut de cæterò, eo diligentius caveat DEUM offendere. Quis nol leve ducit peccatum fore, si audit DEUM, tam facile dimittere culpam & omnem pœnam, tàm æternam, quàm temporaneam, qui tamen dicit se vindicare peccata parentum in filiis, in tertiam & quartam generationem? Exod. 20. Altera ratio est, ut exinde DEUS cognoscatur misericors & justus; Misericors, qui condonat offensam, id est, culpam & pœnam æternam. Justus, propterea imponit pœnas, quia exigit aliquam satisfactionem. Non igitur hæc doctrina & fides Ecclesiæ contemnenda est.

His sic stantibus: ut cavillationi præveniatur, indubiè asserimus, quod Christus absq; satisfactione potest relaxare peccata, & hic est alter modus, quo DEUS illa remittit. Legimus enim DEUM quandoq; remittere peccatum, quoad culpam & quoad pœnam, ut patet tum in latrone cum dicit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Tum remissione peccatorum, quæ fit baptismo: gratia siquidem baptizmatis, sola sufficit ad salutem æternam, si antequam baptizatus moriatur, novum peccati obicem, non ponat, ultimo baptismi effectui, qui est vita æterna.

Quamvis etiam DEUS remittat peccatum, non remissa poena peccati, ut in superioribus authoritatibus, & exemplis Sacræ Scripturæ, & sententiis Patrum, perspicuum est.

Huic doctrinæ, *Fideliter Admonentes* se subscribere deberent, si veram pietatem declarare, & veritatem constanter defendere cupiunt. Curare præterea debent, ne, ut illis quibus dolent oculi, molestus est lucis aspectus, gratæ autem tenebræ, sic & ipsis veritas ingrata, mendacium autem gratum & suave sit.

CAP. VII.

Indulgentiis, defuncti à pœnis Purgatorii liberantur.

DIvus Augustinus in libro de Cura pro mortuis agenda, mortuorum memorias peculiariter approbat iis verbis: *In Machabeorum* (inquit) *libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium: sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva hæc consuetudinis claret authoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino DEO ad ejus altare funduntur, locum suum habet, etiam commendacio mortuorum.* Hæc Augustini authoritas, quæ omni exceptione major est, multum adversatur, tàm antiquioribus, quàm recentioribus Hæreticis, qui Purgatorium negaverunt, & consequenter suffragia, ac Indulgentias mortuis prodesse negarunt.

Fides autem Catholica docet, animas defunctorum posse juvari suffragiis viventium, quod si copiosè vellemus ostendere, necessario Tractatum de assertione Purgatorii, (quod quidem est extra nostrum, pro tunc intentum) instituere deberemus. Illud tamen nosse est res apprimè necessaria Christianis, in quo pro minutis delictis, animæ corporibus exutæ, velut aurum in fornace, purgationem accipiunt, priusquam in cœlum admittãtur. Prodest ipsius notitia, non solum, ut ex charitate subvenire studeamus, animabus illorum qui pœnis illis detinentur, verum etiam nobis ipsis metum incutit, ne leviores facile culpas, admittamus: cum certò nobis constiterit, nos ob eas, in illis ignibus graves luituros

toros pœnas, nec ante nobis in cœlum aditum patere, quam ab illis, per acerbos purgatorii cruciatus, fuerimus purgatissimi. Confert item, & spei nostræ, ne protinus ut morbus aliquis gravis, & letiferus, nos inopinatos oppresserit desperemus, putantes omnia vel levissima, de quibus hic non satisfecimus, in gehenna debere puniri.

Noverant illud multi Sanctorum Patrum, sicut *Chrysostomus*, *Gregorius*, *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Augustinus*, *Origenes*, *Athanasius*, *Dionysius*, & cæteri plurimi, quorum authoritas, apud *Fideliter Admonentes*, est tanquam nasus cereus, & tantum valet quantum placet, quantumq; in illorum partem est. Cum quibus tamen tutius est, imo cum tota Ecclesia Catholica stare & credere, quam cum ambitiosis Hæreticis, qui tamen nihil possunt, nisi quia dicunt: Non credimus. Quis autem velit Catholicorum, propter tam leves homines, fidem tot Sanctorum; de Purgatorio falsam fore credere? Absit.

Noverat illud, & ingenium Lutheri, dum ait: *Ego tamen & credo, Purgatorium esse, suadeoq; credendum, sed neminem volo cogi.* Hæc Lutherus. Neminem vult cogi, ut ipsi licentia fiat, quidquid libuerit, impunè dicendi. Credit Purgatorium, & dignum ipsi visum est, quod credendum cæteris consulat, cur tamen neminem cogi vult ad id credendum, cum talis adactio cuiq; sit utilis? talem coactionem CHRISTUS docet apertissimè, in Parabola de cœna *Compelle Intrare*. Circumspectior vult Christo videri Lutherus, propterea post creditum, & suasum Purgatorium, deterior in assertione illius factus, sicut & in assertione Indulgentiarum. dicit enim: *Rogo omnes, tam Bibliopolas quàm Lectores, ut ea quæ de Indulgentiis disputata, & scripta à me sunt, exurantur.* Antea Indulgentias aliquo modo faciebat, at nunc prorsus nullius momenti facit. Verum ita debuit dicere Lutherus, *Rogo ut ea quæ de Indulgentiis disputata, & scripta à me sunt, corrigantur, & author exuratur.*

Ac proinde, Lutricolis nunc Purgatorium persuadere, est *oleo incendium restinguere*; sequitur enim Cretisa Cretensem, Academia Lutherum.

His itaq́, eorum postpositis erroribus, indubie asserendum est Purgatorium, & defunctorum animas ibidem degentes, juvari Indulgentiis, utpote quæ cum fidelibus viventibus vinculo charitatis, eiusdemque fidei junguntur, ita quod unam Ecclesiam, & unum corpus efficiant, ut refert D. Augustinus: *Neque enim*, (inquit) *piorum animæ defunctorum, ab Ecclesia separantur, quæ est regnum Christi.* Si ergo privati homines, defuncti possunt applicare suas satisfactiones, cur non Summus Pontifex, satisfactiones Christi & Sanctorum, qui est summus dispensator, in Spirituali thesauro Ecclesiæ, depositorum.

Lib. 10. de Civit. Dei, cap. 9.

Quo autem modo auxiliantur Indulgentiæ defunctis, breviter explicandum venit. Tribus itaq; modis, nostris operibus suffragari possumus defunctis. 1. Merendo bonis operibus de congruo. 2. Impetrando. 3. Satisfaciendo nostris passionibus, seu pœnalibus operibus pro illis. Cum igitur Indulgentiæ sint ut ante docuimus thesaurus passionum, aut satisfactionum, sive pœnalium operum, consequenter dicendum est. Indulgentias dari defunctis, per modum suffragii satisfactorii, tantum ita quod Indulgentia per modum suffragii, conceditur ex thesauro Ecclesiæ, ut opus satisfactorium, per modum Ecclesiastici suffragii satis factorii, hoc est, per modum, quo nostra satisfactoria suffragia opem ferunt.

Ex ista forte occasione, *Authores Fidelis Admonitionis* requirunt. *Cur tam invidus & malevolus* (Papa) *filiorum suorum Pater est, ut non statim ex Purgatorio liberet animas defunctas, &c.*

Hæc quæstio, *Fideliter monentium*, quia Iusus non novit, deberet legem abstinere, & cavere pedibus nudis perrepere montem, ne pœniteat suscepti. Levem conjecturam habens, invidum ac malevolum Papam, ex propria judicat sententia, verum hoc jaculum, in mittentem convenientius retorqueri debet, cum nihil sit, quod in judicante placeat, si in toto corpore lingva dolosa displiceat. *Beatus qui tectus est à lingva nequam.*

Eccles. 28.

Sciendum itaq; est, thesaurum Indulgentiarum in Ecclesia repositum, non esse thesaurum hæreticorum, quo, quãdo & quantum, placet ad factiones domesticas, in perniciem Ecclesiæ utũtur, sed esse thesaurum Spiritualem, qui aliter conceditur vivis, aliter de-

ter defunctis; Vivis enim conceditur, per modum absolutionis judicialis, ex potestate clavium, dispensante thesaurum meritorum pœnalium CHRISTI, & Sanctorum, in remissionem pœnæ temporalis, pro actualibus peccatis debitæ, quare ut proprie viatores, visibilesq; oves, ac membra hujus visibilis Ecclesiæ, subjecta Pontifici Indulgentiis utuntur, per modum absolutionis: Defunctis autem conceditur, per modum suffragii, auxiliando tãtum, hoc est, Ecclesiæ satisfactoria, ad defunctorum liberationem dirigendo.

Unde, aliud est, absolvere authoritative animas existentes in Purgatorio, & aliud est, dispensare authoritative thesaurum CHRISTI, & Sanctorum, pro illis, ut per modum suffragii, absolvantur; Secundum faciens Pontifex, non excedit fines jurisdictionis suæ, cum illæ animæ piorum, testante D. Augustino ut supra, ab Ecclesia non separentur. Primum autem facere non potest eo, quod illæ animæ jam sint in judicio divino constitutæ, ac proinde, Ecclesia earum causam cognoscere, & perconsequens illas ligare vel absolvere non potest. Et præterea Pontifex, non habet authoritatem nisi in oves pascendas juxta illud Joannis: *Pasce oves meas.* Cujus pascuæ, defunctorum animæ, non sunt capaces, cum non possit ab eo doctrinam, vel Sacramenta, vel leges, & jura percipere: non igitur ei sunt subjectæ, ita quod possint ligari vel absolvi. Joan. 21.

Indulgentiam igitur, Summus Pontifex authoritative ex thesauro Ecclesiæ, confert existentibus in Purgatorio, per modum suffragii auxiliantis ad eorum sublevationem, confidens in divina misericordia, quod acceptabitur ad sublevamen eorum, qui in foro iræ & furoris Domini, puniuntur purgandi. Unde non temere Pontifices, Indulgentias ad mortuos extendentes, addunt particulam, *Per modum suffragij.* Quemadmodum enim Princeps aliquis, alio modo ex publico ærario liberat ære alieno gravatos, degentes sub sua jurisdictione, nimirum, absolvendo illos judicialiter à debito & aliomodo degentes alibi ut servos, nimirum subveniendo illis per modum auxilii, cum pecunia: Ita etiam Princeps Ecclesiasticus, vivis utpote suæ curæ subjectis, applicat Indulgentias absolvendo, defunctis autem auxiliando. Et hic

ſtylus huc usq; ſervatur in Indulgentiis pro defunctis, quod ſcilicet per modum ſuffragii datur, & hoc virtute clavium, cum ſit ex authoritativa diſpenſatione theſauri Chriſti.

Unde in litteris Indulgentiarum pro defunctis, duo ſemper dicuntur, & quod Apoſtolica authoritate Indulgentia pro animabus in Purgatorio concedatur, & quod Indulgentia ipſa per modum ſuffragii, opituletur animabus in remiſſionem ſuarum pœnarum.

Hac differentia poſita de Indulgentiis, quoad vivos & defunctos; Non ſequitur, quod Prælatus Eccleſiæ poſsit pro ſuo arbitrio animas à Purgatorio liberare, cum non ſit in arbitrio ejus, ſine ulla juſta cauſa, diſpenſare Indulgentiam, aliâs diſsipator, & non diſpenſator dicendus eſſet. Si enim DEUS ſic miſeretur, ut tamen ſemper etiam ſervet cum miſericordia juſtitiam, multo fortius id convenit miniſtro, ut diſpenſatio bonorum Eccleſiæ, diſcrete & ritè cùm modoramine fiat. Alio qui niſi diſcrete fieret, DEUS non acceptaret. Et bona Eccleſiæ Spiritualia, non debent diſſipari, nec cõtra Divinam acceptationem diſtribui, quod fieret ſi ſine moderamine, & diſcretione ita, diſpenſarentur Indulgentiæ, quatenus totum evacuaretur Purgatorium ſimul.

Unde ad hoc quod Indulgentiæ valeant, requiritur cauſa conveniens Indulgentias faciendi: neque tamen imaginandum eſt, quod illa cauſa ſufficiat, utilitas ſcilicet animarum, in Purgatorio degentium, reſpectu quorum, Vicarius CHRISTI habet poteſtatem, diſpenſandi theſaurum Eccleſiæ, ſed requiritur aliâ cauſa particularis, pertinens ad honorem DEI & Eccleſiæ utilitatem.

D. Tomas 4. diſt. 20. q. 1. art. 3. qla 1.

Quare ratio ſufficiens Indulgentias faciendi, eſt utilitas Eccleſiæ, & honor DEI, juxta illud: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus:* ac propterea in concedendis Indulgentiis, Pontifex, plus arbitrari debet, gratiorem eſſe DEO cauſam Indulgentiarum, propter quam conceduntur, quam executionem juſtitiæ, quæ exercetur in expiandis animabus Purgatorii.

Præterea, requiritur nedum authoritas ex parte dantis, & cauſæ pietas, quæ comprehendit honorem DEI & Eccleſiæ utilitatem, ſed etiam ex parte recipientis, charitas, nam ille,

quà

qui suscipit Indulgentias pro defunctis, necesse habet adimplere opus injunctum, & cum injuncta opera non possint perfici per defunctos, requiritur omnino, ut viventes pro ipsis perficiant, talem autem qui perficit, oportet esse in charitate, sive in statu gratiæ, curareq; debet, ut ipse, Indulgentiam à culpa per Sacramentum Confessionis obtineat, quod si hâc charitate caruerit, effectu etiam Indulgentiarum frustrabitur. D. Tomas 4. dist. 45. q. 2. ar. 3. qla 2.

Sed, neq; contemnenda est sententia Cardinalis Cajetani, qui docet, omnes animas quæ in Purgatorio sunt, posse juvari suffragiis Ecclesiæ, de facto tamen non omnes juvantur, sed illæ solæ, quæ hîc meruerunt, ut juvarentur. Creditq; illorum animas, qui in hac vita oblivioni dant defunctos, satisfacereq; propriis peccatis negligunt, alienas esse à fructu omnium suffragiorum, juxta illud D. Augustini: *Quocirca hîc omne meritum comparatur, quo post hanc vitam possit relevari quispiam, vel gravari.* In Enchirid. c. 108.

Unde licet hîc multa pro eis fiant, tamen divina ulciscente justitia hujusmodi duritiam, detinentur: & hanc doctrinam Cajetanus dicit esse ad mentem D. Augustini, de Cura pro mortuis, ubi ait: *Non existimemus* (inquit) *ad mortuos, pro quibus curam gerimus pervenire, nisi quod pro eis, sive altaris, sive orationum, sive eleemosynarum sacrificiis, solenniter supplicamus; quamvis non pro quibus fiunt, omnibus prosint, sed illis tantum, quibus dum vivunt, comparatur ut prosint.* Et in Enchiridio: *Quia etiam* (inquit) *hoc meritum sibi quisq;, cum in corpore viveret, comparavit, ut ei possent ista prodesse, non enim omnibus prosunt.* Ex hac igitur sententia, sequitur, quod, Indulgentiæ quæ suscipiuntur pro defunctis, prosunt illis, vel ad refrigerium, vel ad plenam liberationem, quibus & quando, & quantum, divinæ pietati placuerit.

His pensatis, videbit *Fidelis Admonitio*, cur Pontifex non plena manu, thesauro Indulgentiarum utatur. Verum, quid proficiet *Fideli Admonitioni*, quæ veritatem quærit, non in veritate, sed in vanitate? Verba copiosa componit, & interrogans, vincula nectit, & tandem in verbis vitæ, lucra mortis negotiatur.

Fid. Adm. fol. 160. *Miserè nos cæcos* pronunciat. Verborum quidem magna copia, at fructus nullus, aberrante loquacitate: vel si aliquis infrænis oris exitus est, tunc non nisi infortunium.

Sint *Authores Fidelis Admonitionis* quantumcunq; *ad vinum disertissimi*, & inopiam suæ sapientiæ, contumeliosis verbis diffundant, non secus ac corpore tenues, veste se dilatant; hæc nos æquanimiter tolerabimus, hoc enim Ecclesiæ proprium est, Hilar. de Trinit. *ut tunc vincat, cum læditur, tunc intelligat, cum arguitur, tunc obtineat, cum deseritur, dum persequitur floret; dum opprimitur, crescit, dum contemnitur, proficit, dum læditur vincit, dum arguitur, intelligit, tunc stat, dum superari videtur.*

CAP. VIII.

Conclusio.

Catholici summo consensu, creduntac confitentur, Indulgentiarum thesaurum in Ecclesia esse & valere.

HÆc Conclusio, ponitur contra Hæreticos, qui illas negant, blasphemant, oppugnant, toto cœlo errant, nescientes Scripturas, de fide sine fide disputant, cœci sunt, & duces cœcorum, qui non solum aliis, & sibi injuriam faciunt, sed etiam ore suo se Indulgentiæ gratia, & auxilio DEI, indignos, & pœna dignos judicant, & condemnant: homines, alioqui miseri & infirmi cum sint, tamen cum superbis Pharisæis & Scribis, medicum cum medicina, tanquam insani contemnunt, spernunt, & conculcant, Inimici crucis CHRISTI, principia religionis contra conscientiam, communem sensum, & consensum omnium fidelium, impudentissimè negãt, tenebras pro luce, lutum & sordes, pro fonte & lavacro, maledictionem pro benedictione, carcerem pro luce publica, stultissimè & iniquisimè perversi eligunt, nesciunt de quibus affirment, vel negent, & ideo notas contradictionis, ipsi manifestè incurrunt, & jam rei contradictionis, publice tenentur, qua remissionem

nem peccatorum ponunt, & Indulgentias negant. *Væ illis qui in contradictione Core abierunt.* Juda cap. 1.

Probabimus ergo hanc Conclusionem, sive Indulgentiarum usum in Ecclesia, non esse rem novam, ut falsò credunt Hæretici, quia sicut in lege sub Moyse, Sacerdotibus & Prophetis, Judæi, suo modo necessario Indulgentiis utebantur, ita in Evangelio sub Petro, Apostolis, & Successoribus Petri, per traditionem, usq; adhuc Christiani Indulgentiis necessario utuntur. Ac proinde, quia Indulgentiæ veteris testamenti, figura & umbra fuerunt Indulgentiarum novi testamenti, ideo Scripturæ, quæ leguntur de Jubilæis, & Indulgentiis veteris testamenti, sunt Privilegia Jubilæorum & Indulgentiarum novi testamenti.

Vel sola traditio Sanctorum Patrum, possesio & perpetuus usus fructus Indulgentiarum, in Eccesia Catholica, benè, legittimè, & sufficienter probat, & confirmat, causam Indulgentiarum, contra Hæreticos. Ac præterea ubicunq; in Sacris Conciliis, & Canonibus historia Indulgentiarum habetur, inducitur, non tanquam nova institutio, sed tanquam memoria rei antiquæ: Morbus enim & medicina, sicut sunt simul natura, ita peccatum & Indulgentia. Unde sicut Deus contra peccatum originale, procuravit, ordinavit, & dedit, circumcisionem, & fontem Baptismi, ita contra peccata actualia, procuravit, ordinavit, & dedit pœnitentiam, absolutionem, satisfactionem, & thesaurum Indulgentiarum.

Probantur Indulgentiæ. Primo, Authoritate Sacræ Scripturæ veteris Testamenti.

Hæc autem Scripturæ loca, sunt benè intelligenda, & in eo sensu, quem tenet Sancta mater Ecclesia Catholica, (cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum) semper accipienda.

Sanctificabisq; annum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ. Ipse est enim Jubilæus. Levit. 25.

Plurimæ autem sunt, Sacræ Scripturæ authoritates, in quibus manifestum est, quia Deus Opt. Max. promisit pœnitentibus

 Indul-

Psal. 144. Indulgentiam. Unde David: *Fidelis Dominus in omnibus verbis*
Hebr. 10. *suis*, &c. Et Apostolus: *Fidelis enim est qui repromisit.* Et paulo post: *Patientia etiam vobis necessaria est, ut voluntatem DEI facientes, reportetis promissionem.*

Isai. 1. *Lavamini & mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis vestris, quiescite agere perversa, si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.*

Isai. 4. *Sanctus vocabitur omnis, qui scriptus est in vita, in Jerusalem: Si abluerit Dominus sordes filiarum Syon, & sangvinem Jerusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicij & spiritu ardoris.*

Isai. 33. *Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.* Interpretationem de Indulgentiis horum verborum Isaiæ habet, D. Albertus Magnus, super cap. 13. Zachariæ.

Jerem. 3. Item Hieremiæ: *Convertimini filij revertentes dicit Dominus, quia ego vir vester, & assumam vos.*

Ezech. 11. 18. & 36. Item Ezechielis: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit universa præcepta mea & fecerit judicium, & justitiam, vita vivet, & non morietur, in justitia quam operatus est vivet.*

Oseæ 14. Item Oseæ: *Hæc dicit Dominus DEus, Convertere Israel ad Dominum DEum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua. Tollite vobiscum verba & convertimini ad Dominum.* &c.

Joel. 1. Item Joelis: *Hæc dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde vestris*, &c. *Quis scit, si convertatur, & ignoscat DEus, & relinquet post se benedictionem, sacrificium, & libamen Domino DEo nostro?*

Ezech. 36. Item Ezechielis: *Hæc dicit Dominus DEus, in die qua mundavero vos ex omnibus inquinamentis vestris*, &c. *scient gentes, quia ego Dominus loqvutus sum.*

Orant pœnitentes pro Indulgentia.

2. Paral. 36. Rex Manasses, cum teneretur captus in Babilone, sciens hanc promissionem DEI, sic orat: *Tu Domine, secundum multitudinem bonitatis tuæ, promisisti pœnitentiam, & remissionem iis, qui peccaverunt tibi, & multitudine miserationum tuarum, decrevisti pœnitentiam peccatoribus in salutem.*

Sic &

Sic & Judith: *Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei, sed quia patiens Dominus, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam ejus, fusis lachrymis postulemus*, &c.

Sic & David orat pro Indulgentia testante Divo Ambrosio, dum dicit: *Remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam*, &c. Psalm. 38.
Miserere mei DEus secundum magnum, &c. Et, *Benedixisti Domine* 50. 84.
terram tuam, &c.

Item Micheas: *Quis DEus similis tui qui aufers iniquitatem,* Mich. 7.
& transfers peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ. Non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est.

Assequuti Indulgentiam, gratias agunt.

Isaiæ dicitur: *Miserationum Domini recordabor, laudem Do-* Isai. 63.
mini super omnibus quæ reddidit nobis DEus, & super multitudinem bonorum domus Israel, quæ largitus est eis secundum Indulgentiam suam, &c.

Sic Anna gratias agit pro Indulgentia: *Exultavit cor meum* 1. Reg. 2.
in Domino, & exaltatum est cornu meum in DEo meo. Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo, &c.

Item Isaias: *Confitebor tibi Domine quoniam iratus es mihi con-* Isai. 12.
versus est furor tuus & consolatus es me, &c.

Et Psalmista: *Scribantur hæc in generatione altera*, &c. *Quia* Psalm. 101.
prospexit de excelso suo, &c. *Ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum.*

Item: *Benedic anima mea Dominum*, &c. *Qui propitiatur o-* Psalm. 102.
mnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes, &c.

Exempla Indulgentiarum in veteri Testamento.

Primus Adam peccavit, & Indulgentiam consequutus. *Quia* Sap. 10.
DEus eum custodivit, & eduxit illum à delicto suo.

Similiter *Moyses & Aaron* peccavit peccato diffidentiæ, & Numer. 11.
Dominus pepercit illis. Item 1. Reg. 1. tale exemplum est in *Helcana* & *Anna* uxore ejus.

Item peccavit David, peccato adulterii & homicidii, quod
2. Reg. 12. cum Nathan Propheta exprobrasset David, tum dixit David ad Nathan: *Peccavi Domino.* Dicatq; Nathan ad David: *Dominus quoq; transtulit peccatum tuum, non morieris.*

3. Reg. 11. Item peccavit Salomon, & Dominus propter David patrem, pepercerat illi. Hoc in Achab, 3. Reg. 21. manifestum est, hoc in Ezechia rege Juda, 4. Reg. 20. & Isaiæ 38. cui dictum: *Audivi orationem tuam, & vidi lachrymas tuas.*

Joel. 2. Item Joel: *Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo.* Nunc brevitati studentes non plura exempla adducemus. Satis enim est hæc esse, quæ Indulgentias, dari populo in veteri lege dicant.

Probantur Authoritate Sacræ Scripturæ Novi Testamenti.

Supponimus autem, quod Sancta mater Ecclesia Catholica, sicut vincit Synagogam Sacerdotio, Evangelio, Sacrificio, Sacramentis benedictionibus, ita & Jubilæis ac Indulgentiis, juxta illud ad Hæbreos: *CHRISTUS purgationem peccatorum faciens, nunc melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est*, &c.

Item 1. Petr. 2. *Vos autem genus electum regale Sacerdotium, gens, sancta, populus acquisitionis*, &c. Qui vero ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursum justificari poterunt, cum excitante DEO per pœnitentiæ Sacramentum (*& Indulgentias*) merito CHRISTI amissam gratiam recuperare procuraverunt. Unde CHRISTUS talibus promittit Indulgentiam:
Matth. 9. *Non est opus valentibus medico, sed male habentibus. Non veni vocare justos, sed peccatores.*

Matth. 11. Probatur ergo præcipuè illo testimonio CHRISTI: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis.*

Hilarius dicit: *Legis difficultatibus laborantes, & peccatis seculi oneratos, ad se vocat.* Et Hieronym. *Gravia esse onera peccati, dicit.*

Divus

Divus Chrysostomus: *Non autem dicit, Venite ille, & ille, sed omnes, qui in sollicitudinibus, qui in tristitiis, qui in peccatis estis, non ut expetam poenas, sed ut solvam peccata. Et ego reficiam vos, id est, in omni quiete constituam.*

Item Joan. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum.*

D. Thomas super iisdem verbis: *Non de temporali, sed de spirituali aqua, Dominus dicit.*

Item Apostolus: *Quoniam quidem DEus erat in CHristo, mundum reconcilians sibi, nec reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis,* (Sanctæq; Indulgentiæ) *Pro CHRisto* 2. Cor. 5. *ergo legatione fungimur, tanquam DEo exhortante per nos, obsecramus pro Christo reconciliamini DEo.*

Christus & exemplum & præceptum Indulgentiarum.

Exemplum, quia in Cruce posuit orationem, pro Indulgentiis suorum inimicorum: *Pater dimitte illis non enim sciunt quid* Luc. 23. *faciunt.* Eodem exemplo orat Steph: *Actor. 7.* Hoc exemplo orat & mater Ecclesia.

Præceptum, quia sic docuit, sic præcepit dicens: *Cum ora-* Matth. 6. *bitis dicite Pater noster*, &c. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Alia exempla Indulgentiarum in novo Testamento.

Petrus post peccatum negationis, conversus, *Marc. 14.* obtinuit Indulgentiam, & factus Apostolus, Unde de illo potest dici, *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Rom. 5.

Paulus persecutor Ecclesiæ, *1. Corinth. 15.* conversus, obtinuit Indulgentiam, *Actor. 9.* & factus Apostolus. Matthæus publicanus obtinuit Indulgentiam, *Matth. 9.* Zachæus, *Luca 19.* Magdalena, *Luc. 7.* Latro, *23.*

Unde Apostolus: *Habentes ergo Pontificem magnum*, &c. *Adeamus ergo cum fiducia, ad thronum gratiæ ejus, & misericordiam* Hebr. 4. *consequamur, & gratiam inveniamus, in auxilio opportuno.*

Probantur Indulgentiæ Traditione SS. Patrum.

Traditiones SS. Patrum, Hæretici, quatuor obulis non
2. Thess. 2. æstimant, quas tamen æstimavit Apostolus, dum dicit: *State, & tenete traditiones, quas didicistis, sive per Sermonem, sive per Epistolam nostram:* & hoc nomine laudat suos Corinthios, *1. Cor. 11.* quod Apostolica præcepta, quæ viva voce tradita jam acceperant, sedulò custodirent,

Hujus præcepti memores S. Patres, semper ubiq; traditionum DEI & Sanctæ matris Ecclesiæ fuerunt & ipsimet observantissimi, & ut à suis perpetuò observarentur, sedulò operam dabãt, unde multa de traditione scripserunt.

Et inprimis *Tertulianus* de Corona militis concludit. *Harum & aliarum hujusmodi disciplinarum, si legem expostules, Scripturam nullam invenies, traditio tibi prætendatur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Hoc idem si videre cupis, reperies apud eundem paulo post.

Origenes, qui celebris & pervetustus est author, ita scripsit super Epistolam ad Titum: *Hæreticus nobis habendus est, omnis ille, qui Christum se credere profitetur, & aliud de veritate Christianæ fidei credit, quàm habeat definitio, traditionis Ecclesiasticæ.*

Idem libr. 1. Periarchon: *Illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica, discordat traditione.*

Irenæus libr. 4. contr. Hæreses cap. 43. *Obedire oportet Presbiteris Ecclesiæ, qui Successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione, charisma veritatis certum, secundum placitum Patrum acceperunt,* &c.

Divus *Chrysostomus* in 2. Thessalon. 2. Hom. 4. in illa verba: *State, & tenete traditiones. Hinc patet* (inquit) *quod non omnia per Epistolam tradiderint, sed multa etiam sine litteris; Eadem vero fide digna sunt, tàm illa, quàm ista, itaq; traditionem quoq; Ecclesiæ fide dignam putamus. Traditio est, nihil quæramus amplius.*

Theophilactus super eadem verba: *State & tenete traditiones. Vel hinc etiam perspicuum est, quod pleraq; etiam sine scriptis, per Sermonem, id est, viva voce tradiderunt non solum per Epistolam,*

similiter

similiter autem & hæc, & illa fide digna sunt. Itaq; & Ecclesiæ traditionem fide dignam existimamus Traditio est, nihil amplius quæras.

D. *Hieronymus* in Epistolis: *Ego te illud breviter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiunt, ita observandas, ut à majoribus tradita sunt.*

D. *Augustinus* Epistola 86. *In his* (inquit) *de quibus nihil certi statuit Divina Scriptura, mos populi DEI, & statuta majorum, pro lege tenenda sunt; & sunt prævaricatio divinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum, coercendi sunt.*

Item de Civitat. DEI, libr. 19. cap. 18. *Unde* (inquit) *certa fide tenenda sunt, non solum quæ scripturis expressè sunt prodita, sed etiam, quæ per traditiones Ecclesiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita sunt super fidei & morum negotiis, per Cathedram Petri, vel per Concilia generalia, legittimè congregata.*

Si quis itaque cum *Fideli Admonitione* traditionem Ecclesiæ, sive Scripto, sive consuetudine valentem, non curaverit, *Anathema sit.*

Probantur Indulgentiæ testimoniis SS. Patrum.

D. *Gregorius Magnus*, Exponens illa verba Psalm. 50. *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Indulgentiam pretiosissimum thesaurum æstimat. Unde eundem concecisse plenarias Indulgentias, testantur gravissimi authores, *præcipuè D. Thom. in 4. Sentent. distinct. 20. q. 1. ar. 3. q. 2.* Et in Epistola ad Episcopos Britanniæ, absolutè Indulgentias concessit. *Quibuscunq;* (ait) *verè pœnitentibus, peccatorum remissionem, Apostolica, freti potestate, largimur: & insuper æternæ beatitudinis gaudia, de omnipotentis DEI misericordia confisi,* &c. Hæc in regestro D. Gregorii leguntur.

Idem Pontifex, fratribus Massilien Monasterii scribit: *Rogamus* (inquit) *vos ex parte Omnipotentis DEI, & amore B. Petri, patienter supportare: quia citò DEO adjuvante. Abbatem vobis lætum, remittemus, & authoritate BB. Petri & Pauli, & nostra per istos, nobis indigniscommissa, absolutionem, & Indulgentiam promittimus, & cum benedictione concedimus.*

D. *Ambro-*

D. *Ambrosius* de Pœnitentia libr. I. cap. 17. *Sed debemus* (inquit) *cavere, ne per remedium nostrum fiat Sathanæ triumphus, circumvenimur enim ab eo, si per nimiam tristitiam pereat, quod potest liberari per Indulgentiam.*

Item super Psalm 38. exponens illa verba: Remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero, dicit: *Hoc est, hîc mihi remitte, ubi peccavi: nisi hîc remiseris mihi, ibi remissionis requiem, invenire non potero,* &c Et paulo infrà: *Hic locus est veniæ postulandæ: Deploremus igitur in terris, ut mereamur Indulgentiam.*

D. *Augustinus*, Tractatu 33. in Joannem, super cap. 8. Joannis, super illa verba: Vade deinceps noli peccare, dicit: *Malus fuisti heri, hodie bonus esto, & hodiernam diem in malicia peregisti, vel cras mutare semper expectas, & de misericordia DEi tibi plurimum polliceris, quasi ille qui tibi per patientiam, promisit Indulgentiam, promiserit tibi, etiam prolixiorem vitam.* Et paulo infrà: *Negare non possumus, quod contritis atque conversis, Indulgentiam DEus promisit.*

Idem D. *Augustinus*, multa scribit de Indulgentiis, in libro, *De vera & falsa Pœnitentia.*

Probantur Indulgentiæ decretis Conciliorum.

Inprimis Sancta *Nicæna Synodus*, Canon. 11. statuit, ut qui seriò pœnitentiam agunt, possint Indulgentiam aliquam ab Episcopo obtinere. *Licebit etiam* (inquit) *Episcopo humaniùs circa eos aliquid cogitare.* Sensus est, Licebit Episcopo de præscriptis pœnis, vel omnes, vel partem condonare.

Concilium etiam *Ancyranum*, paulò ante Nicænum celebratum, hoc idem docet. Deinde *Cōcilium Laodicenum*, Can. 2. Similiter Sancta *Synodus Laternnens.* & *Lateranense Concilium* sic ait: *Nos omnipotentis DEI misericordia, & BB. Apostolorum Petri & Pauli authoritate confisi, ex illa, quam nobis licet indignis DEus ligandi atq; solvendi contulit potestatem, omnibus, qui laborem propriis personis subierint, &c. plenam suorum peccaminum, de quibus liberaliter*

liberaliter fuerint corde contriti, & confessi, veniam indulgemus, & in retributione justorum, salutis æternæ pollicemur augmentum.

Easdem Indulgentias astruit *Concilium Constantiense*, Sess. 18. *& Basiliense*, Sess. 24. & *Lateranense*, *An.* 1520. celebratum, contra errores & articulos Lutheri, inter quos leguntur quidam, quibus blasphemavit Sanctas Indulgentias, uti in decreto summi Pontificis contra ipsum, continetur.

Itaq; ab initio statim nascentis Ecclesiæ, fuerunt Indulgentiæ semper in usu, quam ob causam optime *S. Cyprianus* Cornelium Papam dicit recte egisse, quod in condonandis peccatis, liberalis fuerat inventus.

Quamvis autem authoritatem Conciliorum Hæretici hujus temporis, qui cœlum digito attingunt, contemnant, tamen ab illis deficere gravissimum est, ut S. Augustin. ad Januarium scribit Epistola 118. *Semper fuit in Ecclesia plenariorum Conciliorum, saluberrima authoritas.*

Probantur Indulgentiæ rationibus.

Verus Messias, Legislator ac Mediator, Christus Jesus, Indulgentias una cum Sacerdotio, lege, sacrificio, & benedictione, ex Synagoga ad Ecclesiam transtulit, transplantavit, reformavit, confirmavit, auxit & perfecit. Ergo thesaurus Indulgentiarum in Ecclesia est. *Consequens* est evidens, *Antecedens* est Apostoli ad Hæbreos, cap. 7. & 8. Translato enim Sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat, & perconsequens, translato Pontificatu & Sacerdotio ex Hierusalem Romam, necessariò sequitur, quod lex Evangelii, & Sacrificia, & Indulgentiæ, & benedictiones, ex Synagoga ad Ecclesiam Catholicam sint translatæ. Prima.

Confirmatur. Si nullæ essent in Ecclesia Catholica (ut volunt Hæretici) Indulgentiæ, sequeretur perfectiorem, & sanctiorem olim fuisse, in sua religione Synagogam Judæorum, quàm nunc est Ecclesia Catholica: sed Ecclesia Catholica in sua religione est perfectior, & sanctior, quàm Synagoga olim fuit. Ergo in Ecclesia Catholica, majores nunc habentur Indulgentiæ,

G quàm

quàm in Synagoga fuerunt: *Sequella valet* à destructione Consequentis, ad destructionem Antecedentis. *Minor est Apostoli* pluribus locis sed præcipue ad Galat. 3. ad Colofs. 2. *Lex umbra futurorum, ad perfectum adduxit nihil,* ad Hæbreos 7. *Evangelium autem est lex perfectæ libertatis.*

SECUNDA. Quidquid reducitur ad articulos fidei, ad præcepta DEI decem, & est pars fidei, illud est in Ecclesia, sed omnis Indulgentia Catholica, reducitur ad articulos fidei, & ad præcepta DEI decem, & est pars fidei: Ergo Indulgentia est in Ecclesia Catholica. *Major* est vera, à definitione. *Minor* probatur, quoad primum & tertium. Dicitur in Articulo fidei. *Credo remissionem peccatorum*, ad quem Indulgentia reducitur, tanquam species ad suum genus, vel pars ad totum.

Unde D. *Hieronymus* in Epistola 154. ad Desiderium, quem hortatur, ut Indulgentiarum nomine veniat ad loca sancta, dicit: *Certe adorasse ubi steterunt pedes Domini, pars fidei est.* Quoad secundum probatur, dicitur in præcepto: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*, sed quemadmodum DEUS, præcepit Sanctificare Sabbatha, ita & Jubilæos, & Indulgentias, ut patet *Levitici 25.*

Hæretici ergo, & *Fideliter Admonentes*, quia fidem negant, negant & Indulgentias, vel quia blasphemant Indulgentias, fidem blasphemant, & Indulgentias oppugnant, quia fidem oppugnant.

TERTIA. Cujus rei CHRISTUS posuit signum, ostendit & dedit exemplum, & tradidit præceptum in Evangelio, illud debet esse in Ecclesia: sed Indulgentiæ, CHRISTUS posuit signum, dedit exemplum, & tradidit præceptum in Evangelio: Ergo Indulgentia debet esse in Ecclesia. *Major vera* ab authoritate. *Minor*, Joannis 13. posuit signum, id est, lotionem externam pedum, propter conscientiæ internam ablutionem: dedit exemplum, quia Petro & discipulis, propriis manibus lavit pedes: tradidit præceptum, quia dixit: *Si ergo, Ego lavi pedes vestros, dominus & magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

QUARTA.

QUARTA. Christi Redemptoris merita, Beatæ DEI genitricis Virginis MARIÆ, & omnium electorum, sunt, & valent in Ecclesia, ergo & Indulgentiæ cum Jubilæo, *Consequentia*, valet, à causa ad effectum. *Antecedens* est Apostoli ad Hæbreos cap. 9. & 12. *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis aspersus, inquinatos sanctificat, ad emundationem carnis, quanto magis sanguis CHRISTI, qui per Spiritum Sanctum, semetipsum obtulit immaculatum DEO, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum DEo viventi?*

Quod vero valeant Indulgentiæ, probatur.

PRIMO. Quicunq; peccatis actualibus, mortalibus, venialibus, sese obstrinxerunt, illi necessariò debent quærere Indulgentiam, ut aliquid valentem: sed homines communiter peccatis actualibus, mortalibus, & venialibus, sese obstrinxerunt: Ergo homines communiter necessario debent quærere indulgentiam. *Major* vera à definitione. *Minor* est, Ezech. 9. ubi dicit Dominus: *Repleta est terra sanguinibus, & Civitas repleta est aversione.*

SECUNDO. Principi Apostolorum Petro, necessaria fuit Indulgentia, ut aliquid valens; Ergo, & omnibus hominibus, *Consequentia* à superiori ad inferius. *Antecedens* est Joannis 13. *Petre, si non lavero te*, id est, aqua salutaris Indulgentiæ, *non habebis partem mecum.*

TERTIO. Probatica piscina Jerosolimis fuit necessaria, ut aliquid valens, Similiter Natatoria Siloe; igitur & Indulgentia eodem modo, *Consequentia*, à proprio signo, ad proprium signatum valet, *Antecedens* de primo, est Joannis 5. Quia in ea lavabantur infirmi, qui primo post commotionem aquæ eo descendebant, sanabantur, à quacunq; detinebantur infirmitate. De secundo *Antecedens* est Joannis cap. 9. Quia ibi secundum verbum CHRISTI, homo cœcus natus, suos oculos lavit, & recepit visum.

QUARTO. Omnis infirmus necessario debet quærere medicinam, & uti illâ, ut aliquid valente. Sed omnis homo est

infirmus, ergo necessario debet quærere medicinam Indulgentiarum, & uti illâ, ut aliquid valente, *Major* est vera à causa sine qua non. *Minor* est Isaiæ 1. *A planta pedis, usq; ad verticem capitis, non est in eo sanitas.* Vidit infirmitatem suam hanc David, propterea orat Psalm. 6. *Miserere mei DEUS, quoniam infirmus sum, sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea.*

QUINTO, Pœnitentia omnibus est necessaria, ut aliquid valens. Ergo & Indulgentia, *Consequentia*, à proprio antecedenti, ad proprium consequens valet. *Antecedens* est Lucæ cap. 13. *Dico vobis, nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Sic quoq; bene dici potest. Nisi Indulgentiam, & absolutionem mediante pœnitentia, obtinueritis, omnes similiter peribitis. Nam & pœnitentia, sine proprii Sacerdotis aut Episcopi absolutione, nihil valet, præsertim his, qui sunt extra Ecclesiam.

His præmissis rationibus, & probationibus Indulgentiarum, tum ex Sacra Scriptura, tum ex SS. Patribus, & authoritatibus Conciliorum, Nescio, cur *Authores Fidelis Admonitionis*, quibus observandi partes sunt delegatæ, ulterius cœcam speculationem excogitare debeant, nisi forte propterea, quia sicut ad solis radios, infirmi oculi non audent aspicere, ita virtutem, malitia contueri non audebit unquam, Sed dorso objecto discedet, victamq; se fatebitur. Jam possent relinquere admonitionem, de religione Papistica fugienda: Etenim *cœno puram aquam turbans, nunquam inveniet potum.* Non sperent eventum suæ intentionis; Nam licet serpens venenum habeat, quia tamen edentulus est, sibi illud habet. Unde quemadmodum, qui verâ fide subnixi sunt in tuto navigant, ita, & qui illa exciderunt, nusquam possunt consistere, sed longo errore circumacti, postremo in ipsa perditionis prærupta feruntur. Neque itidem sperare debent, aliquem effectum suæ Admonitionis, eo quod neq; legati, neq; conditiones accipiuntur ab iis, qui per dolum, atq; insidias, petita pace, ultro bellum inferunt.

CAP.

CAP. IX.

Seqvuntur levia Argumenta Hæreticorum.

NOn inficiaris, quia levia argumenta nomino, etenim non argumenta, ſed *plauſtra, convitiis onuſta, abeuntia, extra omnem honeſti metam*, dicenda eſſent. Vel ſi argumenta, tum illius lingvæ, cui dicitur: Quo vadis ? at illa. Erectura civitatem, eandem denuo ſubverſura. Argumenta, non ex immediatis principiis, ſed ex cratere litium deducta, non aſſenſu, ſed Lesbiis digna.

Pauca igitur ex illis adferam, & multa omittam, utpote quæ ne crepitum quidem digiti merentur. Quid enim prodeſt de fece haurire, quando veritas clara apparet, & hæc ſatis triumphat, ſi apud paucos, bonosq;, accepta, nec etiam indoles ejus eſt placere multis.

Argumentum primum.

Indulgentiæ ſunt inventum & figmentum humanum, & nugæ Papiſtarum, quibus deludunt populum Chriſtianum. Ergo nullę ſunt *Antecedens*, quia ſunt traditiones Papę & Epiſcoporum. *Reſpōdetur* Antecedēs eſſe falſum, & probationem illius eſſe blaſphemiam & contumeliam, oſtenſum enim eſt, Indulgentiam originaliter & principaliter eſſe per ſe à DEO, tanquam datum optimum, & donum perfectum, deſcendens à Patre luminum.

A Papa autem, ut à Miniſtro & Vicario CHRISTI, ac Succeſſore Petri, diſpenſatore miſteriorum, gratiarum, & Indulgentiarum DEI, juxta illud: *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores miniſteriorum DEI.* 1. Cor. 4.

Argumentum Secundum.

Miniſtris Eccleſiæ, non eſt tradita poteſtas à DEO, ad deſtructionem, ſed ad ædificationem; ſed Indulgentiæ deſtruunt ſatisfactionem, & dignos fructus pœnitētiæ, & funditus evertunt Eccleſiaſticam diſciplinam: Simulq;, ſunt remiſſiones bonorum operum: Ergo Indulgentiæ nullæ ſunt. *Majorem* dicunt eſſe veram, & *minorem* notam. Reſpondetur concedendo majorem, eſt enim Apo-

ſtoli, 2.Corinth. 13. Minor eſt mera διαβολὴ, & cavillatio ψευδὴς.
Indulgentiæ enim, ſi modo legittimè & ordinatè fuerint cōceſſæ, & in charitate, corde contrito ſuſceptæ, non deſtruunt, ſed ædificant: quia hominem ex faucibus Diaboli liberant, eripiunt, & conſervant, tum ad amicitiam & gratiam DEI pœnitentes promovent. Signum eſt quia multi publicè confitentur, ſub Indulgentiis in Eccleſia ſe tantum beneficii accepiſſe ſenſibiliter, ac ſi quis ſarcinarum onus, ex eis depoſuiſſet.

Unde Eccleſia, non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem Indulgentias largitur. Ac propterea Innocentius, de pœnitentia & remiſſione dicit: *Etenim pia mater Eccleſia, largitione Indulgentiarum, pios filios ſuos, ferventiores reddit, errantes revocat, deſides excitat, otioſos animat, deſperatos confortat, deniq; omnes filios ſuos armat, lætificat, & munit.*

Hinc etiam manifeſtæ apparet, quod Indulgentiæ nō ſunt remiſſiones bonorum operum, quia non remiſſum, ſed potius recentem, & promptum faciunt Chriſtianum, & voluntarium ad quæq; facienda, quando ſic ſe ex miſericordia DEI recognoſcit abſolutum.

Finaliter ergo dicendum eſt, quod Eccleſia bonorum eſt mater, & origo per Indulgentias, quibus fides creſcit, ſpes nutritur, charitas augetur, conſcientia purgatur, totius populi Chriſtiani devotio fervet, pietas propagatur, mala beneficio nō pœna ad officium & diſciplinam reformantur & reducuntur, Sacramēta frequentantur, morbi curantur, & omnia bona fidelibus, pariter cum Indulgentia veniunt.

Unde perverſiſsima cavillatione uſus eſt Lutherus dicens: Indulgentiam nil aliud, quam remiſſionem bonorum operum eſſe, ac propterea ipſe, & illi, qui Sanctis Indulgentiis derogant, diſciplinam profectò Eccleſiaſticam enervant, ac funditus evertere conantur, & ſine cauſa Eccleſiam Catholicam calumniantur. Sed proprium eſt Hæreticis, benefacta Eccleſiæ Sanctæ, in malam partem interpretari, aliena curare, ſuorum oblviſci, & ſcire *quomodo Juppiter duxerit Junonem*: Cæteras argutias hæreticorum non adduco, quia nil ſoliditatis habent, & ex dictis in Controverſia, facile ſolui poſſunt.

Secunda

Secunda Pars.

De his, quæ paſſim in quinq; Capitibus Fidelis Admonitionis, continentur.

COgitanti mihi, de nimio ſtrepitu, quo, tumultuosè *Fidelis Admonitio*, in quinq; ſuis Capitibus, ſonuit; & conſideranti, quod ſibi totus ille liber velit, coegit me nonnulla obiter indicare, gravitas criminationis, ne dicam impudentia calumniæ. Neſcio enim, quid ſecum grave cornicetur, *Fidelis* inepta tamen *Admonitio*, dum multa, citra pudorem, nudo capite, lupino aſpectu, facit: nam ſicut lupus in aera convertit caput ſuum, contra cœlum, & ſic ululat, ſic *Fidelis Admonitio*, quæ adverſus veritatem blaſphemat contra DEUM, lupus eſt. Suſcepit negotium, ab omni ratione, omniq; timorem DEI averſum; & conatur Laureolam in muſtaceis quærere, & ex frivolis negotiis captare famam.

Admonet, in *Primo Capite*, ne alicui doctrinæ præbeatur aſſenſus, ſine prævia exploratione. *In Secundo*, infirmas rationes, quibus Catholici, ſuam perſuadere ſatagunt Religonem pronunciat. *In Tertio*, invicta quaſi argumenta adfert, quæ tranſitum ad Papatum omnibus piis diſuadent. *In Quarto*, poſſe allegari graviſſimas cauſas dicit, cur ab agnita ſemelq; ſuſcepta Confeſsionis Auguſtanæ Doctrina, non ſit deficiendum. Et tandem *in Quinto*, conſilia, & ſolatia cordatis Chriſtianis, tempore perſecutionis deeſſe, non negat.

Hæc intendens *Fidelis Admonitio*, nititur arcem ex cloaca facere, ſtudetq;, malitia impellente, ultrò mendaciis, famam Catholicorum contaminare, eandemq; blaſphemiâ, execrationibus, Sacrilegâ infamatione, cum quadam probroſa irreligioſitate conviciorum, jaculata in fidem Catholicam, ſatis crudeliter lædere.

Mihi

Mihi itaq; hæc diligentius pensitanti, dictavit ratio non ulcisci contradicendo, non propterea, quod non sit remedium adversus Sycophantarum morsum, sed quia me movit, in primis, aurea doctrina D. Chrysostomi dicentis: *Sicut Joseph dimisit pallium in manu meretricis, & fugit cum meliore pallio castitatis, ita & tu projice pallium in manu calumniatoris, & fuge cum meliore velamento justitiæ*, non enim malitiosorum calumniæ bonos tangunt.

In 1. c. Matt. Hom. 1.

Tum præterea quia responsione indigna, neq; enim necesse habet convinci, quod sua statim professione blasphemum est. *Indigna responsione*, quia est mercenarium præconium, laudes, suæ perfidæ fidei, per adulationem oblatas, decantans. *Indigna responsione*, quia verba coquinaria habet, subausterum cibum, & lethale mulsum, hæreticæ fidei, dulcibus ac mollibus verbis, edulcare satagit. *Indigna responsione*, quia sicut nihil deformius est, quàm respondere furiosis, ita nihil utilius, quàm tacere provocatis, unde plena victoria est, à clamatione tacere, & non respondere provocanti. *Indigna responsione*, quæ suis densissimis malitiæ tenebris, luce clariorem veritatem, effundere nititur, illamq; cane pejus & angve odit. Sed hanc malis displicere, laudari est, nullam authoritatem habet, ubi qui damnatus est, damnat, malè de solida veritate loqvuntur, quia bene loqui nesciunt, faciunt, non quod meretur, sed quod solent. *Indigna Fidelis Admonitio responsione*, quæ ingredientiis convitiorum, detractionis, doli, imposturæ, impudentiæ, injuriæ, velut ex cloacari farmaca compositis, abundè referta est, oblita verborum Christi: *Neminem conciatis neq; calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* *Indigna responsione*, quia in crimen vocat omnia, probat nihil, & suam laudem quærendo, alios viles facit, ut alterius vituperatione, se laudari existimet. *Indigna responsione*, quia quæ suo merito placere non potest, placere vult cõtemptu aliorum.

Luc. 3.

Ad extremum, *Indigna responsione*, quia scimus injuriam propriam, non ulciscendam esse, Deut. 32. Matth. 5. Rom. 10. Jubemur etiam injurias acceptas, oblivisci, Levit. 19. Scimus & injuriam dissimulandam esse, Proverb. 10. Et sic ultra fælicitatem constat esse victoriæ, injuriam non vindicasse. Licet autem

Aliis

Anus Simia serò capiatur, aliquando tamen capitur, ut cum malis bibat improbitatis fecem.

Nullam igitur refutationem, singulorum contentorum, *in Fideli Admonitione* propter rationes allatas, faciemus, generaliter tamen in capitulis contenta, excutiemus: & videbit unusquisq;, qui sanæ mentis est, *Fidelem Admonitionem* multum insanire, adeò manifestè, ut nullam omninò fidem, nisi forte ab iis, qui pariter insaniant, mereatur.

Fidelis Admonitionis

Cap. I.

In quo cavet præcipitantiam in negotio Religionis.

MOnet fideliter, ne alicui doctrinæ præbeatur assensus, sine prævia exploratione, in quo autem negotio non sit præcipitanter agendum, audiatur, quomodo *Fidelis Admonitio* dicat tria, ex sua curia.

1. *Quando igitur solicitamini fratres charissimi, ad capessendam religionem Papisticam, nolite judicium præcipitare, non transire protinus ad castra illa, deliberandi tempus petite, ac sumite, quidq; religio Papalis sit, quid vobis ibi credendum & faciendum proponatur, attentè perpendite.* Hæc Fidelis Admonitio. Fid. adm. fol. 6.

Ecce quam optimè *Fidelis Admonitio*, minxit in Patrios cineres.

2. *Nimis audax & temerarium est, ex abrupto sesse profiteri socium doctrinæ Papisticæ, & tamen ignorare illius indolem ac rationem, neq; causas allegare posse prægnantes, cur ista præ aliis electa fuerit, tales meri sunt hyppocritæ, neq; rem seriam agunt, sed cum religione ludunt, velut pueri cum astragalis.* Hæc Fidelis Adm.

Ecce sus per rosas gradiens, purpuram juxta feces dijudicat; ad privatum commodum respiciens, temerarium pronunciat, ex abrupto sese profiteri socium doctrinæ Papisticæ.

3. *Caveatis* (inquit) *istam temeritatem, & levitatem, ob Divina Præcepta, religionis naturam, prudentiæ indolem, & periculi gravitatem.* Hæc Fidelis Adm.

Ecce *Fidelis Admonitio* quasi Dodonæum tintinnabulum, importunæ loquacitatis rationem linguæ non objicit, ne temerè diffluat.

Perpendite (inquit) *quid religio Papalis sit.*

Det *Fidelis Admonitio* cum suis ministris fidem, & omnem deliberationem, quoad trãsitum ad religionem Catholicam, excludet.

Religio itaq; Catholica est illa, quæ si remotis obstaculis, insanæ tuæ opinionis, nuda judicetur, nuda pensetur, nuda inspiciatur, non alia appareret nisi illa in qua nobis CHRISTUS vitam aperuit, quare sine aliqua deliberatione, illuc est fastinandum, ubi semper vivitur.

Sed *Fidelis Admonitio* in sua oratione clamosa, hæc dicit:

Fid. adm. fol. 18. *O Domine DEUS Patrum meorum ad novam eamq; Papisticam fidem capessendum subinde solicitor, Infunde mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, &c. Ah Domine si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, &c.*

O detractores, quomodo conceptam malitiam, quam retinere non potestis, simulatæ quodam verecundiæ fuco, adumbrare conamini? Videmus vestra suspiria alta (*Ah Domine, si inveni gratiam, &c.*) ex quibus, cum quadam gravitate, voce plangenti, egrediuntur maledictiones, calumniæ, imposturæ, & ψεῦδος.

Ad novam (inquit) *eamq; Papisticam fidem capessendam solicitor.* O splendidum mendacium! Forte nova, quia ante Sexaginta annos Wittebergæ non audita. Forte nova, quia vestra non nova. Et fortè temporibus Apostolorum omnes Ecclesiæ, omnes Urbes, Oppida, Familiæ eandem fidem & Religionem coluerunt, quam vos nunc profitemini. Utiq; id affirmant *Fideliter Admonentes* dum de Sanctis Patribus dicunt. *Atq; sic non hodierna*

dierna Romana, sed antiqua Apostolica, qua itidem nostra est, religioni fuerunt addicti. Hæc Fidelis Adm. Fid. adm. fol. 74.

Ego autem dico, quod ubi semel *Admonitio Fidelis* pejerarit, ei credi postea, etiam si per plurimos DEos juret, non convenit. Hoc perjurium, ne dicam mendacium, nuper commisit. Quis enim credat, omnes Ecclesias, Urbes, temporibus Apostolicis, fidem ac religionem Lutheranam coluisse? Erant temporibus Apostolicis istæ Ecclesiæ Christianæ, Antiochena, Ephesina, Alexandrina, Romana, nunc alias ut omittam. Nominet unam ex his *Fidelis Admonitio*, si potest, quæ fidem Augustanæ Confessionis coluit, & profitebatur. Dicat, si potest, quænam ex omnibus Ecclesiis, quæ temporibus Apostolicis extabat, unquam verbum DEI prædicavit, aut Sacramenta ministravit, more Lutherano.

Quis postmodum credat, Sanctissimos Patres, Orthodoxam fidem profitentes, quorum (*ut ait Fidelis Admonitio*) fuere Monachi nonnulli, addictos religioni ipsorum fuisse. Producant in medium, unum talem ex Sanctis Patribus Monachum, qui non Religioni Romanæ, sed Lutheranæ quæ temporibus illis, non Ens fuit, addictus fuerit.

Mendacia igitur noli dicere, sed vera omnia loquere, & dic religionem nostram, esse non novam, sed antiquam. Non enim novis Scripturarum excussionibus referta, sed Patrum Orthodoxorum sententiis, & consuetis Ecclesiæ misteriis fulta: Hi fuerant semper Ecclesiæ pars magis eximia, non solum eruditione, verum etiam vitæ sanctimonia fulgentes. *Non nova*, quia non frivolè excogitata, sed illa, quam in Scripturis didicimus, & quæ per omnes gentes crescit, atq; in frumentis Domini conservatur. *Non nova*, quia non in unius Apostatæ cerebro fundata, *sed in firmissimo fundamento, CHRisto JESU, & in authoritate Ecclesiæ Catholicæ extructa. Cujus hæreditatem non habet, qui fidem Petri non habet.* Augustin. cont. Manich. Ambr. lib. 1. de pœnitent. c. 6.

Vestra igitur religio nova, ante centum annos, Lutheri opera (*ut dicit Fidelis Admonitio*) facta. *Nova*, scitis enim vestrum Megalandrum, adversus omnium Orthodoxorum Patrum priscorum sententiam, sua dogmata statuisse, & hoc quid aliud fol. 46.

eſt, quam novam Sectam & hæreſim introducere? *Nova*, Lutherus enim non ſolum Patres omnes, verum etiam Concilia contemnit, atque adeò totius Eccleſiæ, tot retro ſæculis uſurpatam conſuetudinem, pro nihilo habet. *Nova*, Lutherus enim Scripturam Sacram perperam contempſit, ſpretis inſuper Interpretibus, tàm vita, quàm eruditione clariſſimis. *Nova*, quia veneranda Eccleſiæ Sacramenta dilaceravit, quæ Apoſtolico uſu, ac tot ſæculorum conſuetudinibus, receptiſſima fuêre. Et ut multa omittam. *Nova*, quia novam blaſphemiam, Atheiſmum in præcepta ac legem DEI, ipſumq; DEUM, impudenter per hominem ſemper contradicentem evomuit, dum ſuper illa Pauli

ad. Gal. 2. & 4. verba: *Legi mortuus ſum*, (dicit) *Legi mori nihil aliud eſt, quàm ad legem non eſſe obligatum, ob eaq; liberum eſſe, ſive ceremonialis ſit, ſive moralis, certum enim eſt Decalogum ſolis Judæis eſſe datum, & non nobis.*

Nunc *Fidelis Admonitio* videat an hæc doctrina Lutheri eſſentialiter & (*ut ipſa loquitur fol. 49.*) quo ad ſuam conſtitutionem internam, ſimul cum Apoſtolis extiterit. Apoſtoli executores præceptorum CHRISTI, præcepta DEI ſervaverunt, & Lutherus negant illa ſibi, ſed Judæis dari. Præceptorum obſervantia, in toto Sacræ Scripturæ textu, commendatur Geneſ. 20. Levit. 26. Deut. 4. Joſuæ 22. 1. Paral. 28. Matth. 5. & in aliis ſexcentis locis, & Lutherus, ut novam, ſuæ proli excitare poſſit, fidem, nihil curat Decalogum.

Non te *Fidelis Admonitio* pudet, talem verſutiam tueri, hominis Apoſtatæ, qui reus & debitor pœnæ eſt, ex quo præceptis DEI non obtemperat.

Audite præterea novam fidem veſtram, audite ex inveteratæ malitiæ ore, novum dicterium; Audite novam blaſphemiam illius, qui bipedum nequiſſimus eſt. *Opportet* (inquit Lutherus) *cor humanum legem DEI atque adeò DEum ipſum ſupra modum odiſſe.*

Luth. tom. 1. VVitteberg. edit. fol. 189. & 190.

O hominem, ne ligula quidem dignum! *Aperuit os ſuum in blaſphemiam in DEUM, blaſphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui in cœlo habitant. Verum cui impiè* (Luthere) *exprobraſti, & quem blaſphemaſti, contra quem exaltaſti vocem tuam,*

Apoca. 13.

4. Reg. 14.

& ele-

& elevaſti in excelſum oculos tuos? contra ſanctum Iſrael. Docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris lingvam blaſphemantium, cōdemnabit te os tuum, & non ego. Job. 15.

Hoc igitur novum Lutheri dicterium, novum ſcelus, nova impietas, non ante audita blaſphemia, novam authoribus *Fidelis Admonitionis*, excitavit religionem, ac proinde, falsò admonitio dicit, doctrinam tam blaſphemam Lutheri, eſſentialiter cum Apoſtolis extitiſſe, non minusq; malitiosè noſtram fidem Catholicam, novam vocitare præſumit.

Hic perpendat Lector Catholicus, quomodo *Fidelis Admonitio* in hoc primo capite, multum laborabat, apparere veridica, & mendaciſſima eſt, ideò fugiat magis quàm viperas hæc ingenia, non aperta, non ſimplicia, ſed aſtuta, & callida, & ad decipiendum parata, quorum finis facere fucum, & artificioſa diſſimulatione deludere.

Sed, vel hinc primi capitis malitia convinci poteſt, dum ex Divinis Præceptis probat, in negotio religionis nihil agendum præcipitanter.

Audiamus Scripturam à *Fideli Admonitione* relatam: *Si ſurrexerit in medio tui Prophetа Jeſuwita, & dixerit tibi eamus, & ſequamur Deos alienos, audiamus Papam, invocemus Sanctos*, &c. *Non audias verba Prophetæ Jeſuwitæ, Attendite, cavete, à falſis Prophetis, Monachis & Jeſuwitis. Rogo vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, quales ſunt Jeſuwitæ hodierni, Papæ paraſiti, declinate ab illis. Quoniam multi Pſeudoprophetæ, quos inter nunc ſunt Jeſuwitæ, exierunt in mundum.* Hæc Fidelis Adm. Fid. adm. fol. 6.

Hanc ſcripturam, *Fidelis Admonitio*, cujus Dea Impudentia, Attico aſpectu, protulit.

Reperiuntur ne quæſo in Scripturis, illa additamenta, *Monachi, Jeſuitæ*, toties repetiti. Cujus eſt hoc comentum? Quis approbavit? ex quo textu Sacræ Scripturæ, Hebraico an Græco Monachos & Jeſuitas tranſtulit? Verum, non ſunt mirandi tam ſubtiles comentatores, ſubtili Megalandro gaudent, cujus velle, & jubere fuit, Scripturam viciare, Concilia ac Patres ſpernere, Sacramenta conculcare. Et quid non faceret *Fidelis Admonitio*

ad in-

ad instinctum Lutheri, & Lutherus ad instinctum tanti Magistri, qualem se habere gaudet, scribens in Colloquiis mesalibus:

Lutherus. *Quando cum hominibus sum, non nocet mihi Diabolus, cum vero me solum deprehendit, tunc docet me mores.* Et quos mores Luthere? Certè mentiri, cum sit mendacii Pater ab initio, & tu ejus clara progenies & discipulus. Certè flosculis conviciorum, magis, quàm argumentorum efficacia, uti.

Adhuc plura potuit discere ab illo, ratione familiaritatis, ut enim apis omnibus floribus insidet, à singulis quod utile est accipiens, ita Lutherus, doctrina cupidus, undiq; & de familiaritate Sathanæ, quæ sunt ipsi in perniciem utilia colligit. Scisne *Fidelis Admonitui* Megalandri familiaritatem cum tanto Magistro? Ecce scribit ad Carolstadium: *Crede mihi* (inquit) *bene, imò valde benè Diabolum novi, quippe qui frequentius, & propius mihi condormit, quàm mea Catharina.*

Lutherus.

O si tàm familiaris, nunquit multa non potuit haurire de illa tenebricosa disciplina? Hinc vere dicit *Fidelis Admonitio: In nostra autem* (inquit) *Ecclesia non desunt, verè pièqué eruditi viri.* Concedimus hanc vobis, sicut & Luthero eruditionem. *Vel solum* (inquit) *Lutherum plurimis Papistarum Doctoribus cum laude & veritate opponere possumus.* Poteftis commode, sic à tali magistro instructum, qualem nullus nostrorum Doctorum habuit.

Fid. adm. fol. 30.

Hic Spiritus tanti Patris, non recessit de ore seminis sui, ex quo pullulavit hæreditas Wittebergica, & nacta tanti magistri doctrina, tale comentum illius Scripturæ fecit, toties ac toties Jesuitas, aliosq; Monachos replicando.

Pudeat vos tantæ cavillationis. Sed perit pudor, ubi Diabolus mores docet. Unde *difficile est ut parcat suis qui cum religionis contemptu, etiam adversus DEos grassatus est.*

Justin. hist. lib. 1.

Fidelis Admonitionis
Cap. II.

Refert Argumenta quibus Catholici ſuam persuadere religionem ſatagunt.

Collegit *Fidelis Admonitio* duplicis generis noſtra eſſe argumenta. Quædam aulica & carnalia. Quædam Theologica: utraq; infirma judicavit, & in hypocritica oratione ſua *ratiunculas* nominavit. Fid. adm. fol. 20. fol. 83.

O cæcam ſpeculationem, quæ tam multa vidit! Quare infirma & vix (*ut ais*) conſideratione digna? Sed iſte cenſor ne in cœna quidem eſt laudandus. fol. 21.

Infirma igitur videntur *Fideli Admonitioni* argumenta noſtra *Primo.* Quia (ut fatetur in illa oratione, ubi flet ad novercæ tumulum) *Cæſaris & aliorum Magnatum objicitur exemplum opes & dignitates promittuntur. Provocant ad eruditionem ſuorum doctorum. Extenuant fidei controverſias. Urgetur antiquitas & origo Apoſtolica, &c. Cultorum ſanctitas jactatur. Multa miracula crepant Monachi, &c.* Propter has & alias futiles rationes, ac eorum μοχθηρίαν noſtra argumenta ſunt infirma. Fid. adm. fol. 84.

Tranſeat cenſura noſtrorum argumentorum: potuit tamen *Fidelis Admonitio* abſtinere, ab injurioſa ratione diſuadente religionem Catholicam, dum dicit: *Religionem ergo quandam ſuſcipere, ſine ſufficiente cognitione, & deliberatione, duntaxat propter exemplum Cæſaris, & Magnatum, nimis impudens eſt, & magis ex adulatione, quàm devotione proficiſcitur, magisq; directum eſt ad captandam gratiam apud homines, quam apud DEum.* Et alibi: *Adimuntur quidem pleraq; media, adſunt perpetuo varii ſuſurrones; Tu nihilominus cor Regis habes in manu tua. Inclina illud ad veritatis agnitionem & regiam manſuetudinem ut ſub ejus Imperio Tibi etiam ſervire, & illæſam conſcientiam retinere liceat.* Hæc Fidelis Admon. Fid. adm. fol. 22. fol. 275.

Lingva quo vadis? Jam & Sacram Cæſaream Majeſtatem petis? Jam eandem aſyllum & refugium adulatorum inſtituis,

eidemq;

eidemq; varios susurrones adscribis? Jam eandem imprudentiæ arguis, & non agnoscere veritatem judicas, quia tuam religionem non approbavit? Jam quidquid tibi in linguam venerit profers? cur non audis quid dicat Thales *Jmperantem honora?* cur non audis Sapientem in Proverbiis, ubi docet: *Quod Principes non sunt irritandi?* cur non obedis legi, quâ dicitur: *Insidiosæ ac Sicophanticæ administrationis, reum accusare Principem, utiqué non licet?*

Prov. 25. G. Pachimer. hist. lib. 10.

Id tu modo attentas, dum multos profiteri fidem Catholicam, ex adulatione ad Cæsarem, pronuncias, ipsorumq; ut adulatorum, fautorem esse eundem, inferre ex tuo discursu cogeris, quem tamen, ne suspectum quidem esse hujus delicti, existimare debuisti, cujus mores valdè cauti, justiq;, ac salubres sunt.

Apparet *Fidelem Admonitionem* multum optasse religioni nostræ, simulq; Invictissimo Imperatori, supremo Fautori ac Patrono ejusdem, vel maximè ex iis verbis hic illius favor, erga religionem Catholicam deprehenditur, dum dicit: *Nonne omnia succedebant prosperè, cum regno ejicerentur Jesuwitæ, & premerentur Romanæ religionis socij, florentibus interim & triumphantibus Calvini asseclis? Si dicant istam felicitatem non fuisse diuturnam, cogitent quid sibi ipsis evenire queat simile, nescitur enim, quid serus vesper vehat, &, nondum omnium dierum soles occiderunt.*

Fidel. admonit. fol. 26.

Quid intendis *Fidelis Admonitio* & religioni Catholicæ illis diebus, quorum nondum soles occiderunt optas, loquella tua manifestam te facit, nam & ἀσελγὴς es, dum cupis evenire quid simile Catholicis, quod evenit Calvinistis in Bohemia, cupis ut ejiciantur Jesuitæ, & premantur Romanæ religionis socii. Sed scito quod grandem nunc

Abluis Æthiopem, quid frustra? ab desine.

Prius Aquilam testudo vincet, quàm arma tenebrarum propugnaculum lucis, ἀπιστία fidem, Diabolus Ecclesiam, nam

Homer. *Ardua res homini est mortali vincere Numen.*

Desine igitur ab hac plaga, quâ per lingvam animo tuo vulnus incutis, dum Cæsarum exempla contemnis: non enim te decuit tam loquacem esse, quæ es opus manuum, Rabbinorum, Doctorum, Professorum, Wittebergensium, qui, sitam

multa

multa ut tituli sonant, sapuissent, nunquam, tàm multa incautè loqvuti essent.

Infirma videntur *Fideli Admonitioni* argumenta nostra *Secundo.* Quia ut illa dicit: *Cultorum Sanctitas jactatur.*

Edissere nobis jactantiam nostram, & tuam malitiam velatam ostende. Progreditur itaq; *Fidelis Admonitio*, & ait: *Quod alios concernit Divos, sanctulosq; Papales, & Monachalium Ordinum Authores, habuêre quidem isti aliquam externæ sanctitatis speciem, quâ deceperunt vulgus credulum, non tamen fuit eorum sanctitas vera, & incontaminata.* Fid. Adm. fol. 72.

Ubiq; tibi *Fidelis Admonitio* eadem insania, semper *Ballionem inducis.* Cur Sanctis, adminus in quantum mortuis, non parcis? An ignoras quod *malum sit defunctis conviciari?* An non tritum inter vos, à sacris abstine manus? An vos latet Homeri dictum: Archiloc.

Cum Divo certare vero simul atq; cupit quis
Cuiq; DEUS bene vult damnum huic certe imminet ingens.

Non potuisti hoc tuum petulans, ac maledicum os, â tanta blesphemia prohibere? Sed quid demiror scelus in Doctoribus Wittebergensibus, discipulis Megalandri, qui & ipse impiè dogmatizando, nec DEO pepercit. An discipuli in Servos DEI debent esse mitiores?

Attende *Fidelis Admonitio*, & hæc non verba sed rem esse intellige, ostendam vestri Megalandri Atheismos, blasphemiam in DEUM ipsum commissam, postmodum, non demirabor vestram, discipulorum ejusdem ἄνοιαν, quâ poti, multa in viros Sanctissimos impudentissimè evomuistis.

Inprimis itaq; hæc ostendo? Cum solem Divinum, CHRISTUM JESUM, filium DEI, ejusq; doctrinam & vitam, unico flatu non poterat extingvere Diabolus, ad sui, hoc est, Serpentis, astum; statim Pseudoprophetarum corda, lingvasq;, & calamos, conatus fuit impellere, ad executionem suæ intentionis: & excellentissimum timpanum, infernalis melodiæ, adinvenit Lutherum, qui tanquam ebrius, multa quæ noluit, adversus DEUM blasphemavit.

Primum igitur est: Quod Lutherus, id quod coquebat in animo ejusdem Sathanas, evomuit, quia tanquam tacitus latro furatus est gloriam CHRISTI. Sustulit enim illud Scriptum, quod habetur de CHRISTO DEO & homine simul futuro, Isai. 9. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus,* Fortis. Vocem ergo illam (DEI) penitus expunxit, alteram suppofuit, quâ CHRISTI divinitas nequaquam deprehendi potest. Legat ista *Fidelis Admonitio* in ejus Bibliis, quæ Jenæ, Wittebergæ, Francfordiæ, Typis impressa sunt. Ex quo hominis astum, cum impietate conjunctum, licet agnoscere, quòd studio tam expressam vocem Spiritus Sancti, de CHRISTO DEO, ab Ecclesia DEI omnibus sæculis, & lingvis receptam, sustulerit: populisq; clarisśimum Divinitatis CHRISTI testimonium, Germanica dictione, & satis impropria involuerit, atque subtraxerit.

Luther. in suis Bibl.

Secundus Atheismus vestri Megalandri est, quia Sathana instigante, sicut Arianis, ita & ipsi, nomen Sanctissimæ Trinitatis displicuit: Unde tanquam bonus reformator, à Sanctissima Trinitate inchoavit, Sustulit enim illud ex Epistola D. Joannis Evangel: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo*, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. Sic ex Litaniis prorsus erasit, *Sancta Trinitas unus DEUS, miserere nobis.* Et hic ipse est Sathanæ astus, ut jaciens lapidem, illicò recondat brachium, & superseminans zizania abeat.

1. Johan. 5.

Postmodum, eandem vocem, Sanctisśimæ Trinitatis, modò suscipit, modò rejicit. Quod modò illi placet, paulò post displicet, quod mane petit, meridie aspernatur, quo meridie delectabatur, eo vesperi offenditur, quod vesperi amabat, id manè odio habet, quod heri magni æstimabat, id hodie flocci pendit, cujus videndi desiderio superiori anno tantum non moriebatur, id hoc anno, ne audire quidem sustinet, quod lætitiam ipsi modo, afferebat, id nunc mœrorem eidem summum affert. An vobis hæc parva injuria, Sanctisśimæ Trinitati illata, per vestrum Megalandrum, videtur?

Tertia

Tertia impietas Lutheri eſt, dum clauſtris pudoris ſemel perruptis, ubi ſenſim bellum indixit SS. Trinitati, jam apertiùs ſe prodidit, dum vocem illam conſtantiſſimè ab Eccleſia receptam (*Conſubſtantialem*) odiſſe proteſtatus eſt. *Anima mea* (inquit) *odit hoc nomen*. Itaq; aut certè Lutherus credidit perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis, non ejusdem & unius eſſentiæ, (quod ſanè omnem perfidiæ metam excedit) aut ſanè dicendum eſt, ipſum adactum à Dœmone fuiſſe, ut, quod ignoraret, blaſphemaret. Hæc blaſphemia ſubinde cæteris oſtium patefecit, primo ad convellendam, deinde ad pernegandam Sanctiſſimam Trinitatem.

Luther. adverſus Jacob. Latomum.

Quartum ſcelus veſtri Megalandri eſt, dum diſrupta vipera, infauſtam Atheiſmorum ſobolem, ſimul erupit. Profitetur enim ſe Neſtorianum, in ſuis magnis Poſtillis, dum ait: *Imperitos quosdam, facere Chriſtum hominem Omnipotentem*. O peſſimum Moſchum, canentem Bæoticum. Tam enim multa, & omnem nequitiam ſuperantia, hac de re, eodem in libro evomuit, nemo ut ſit, qui, ſi paulò cordatior eſſet, Lutherum, ejusque ſectam perverſiſſimam, non abominaretur, atq; abjiceret: Nam non ſatis habuit, aſſerere Eutychen non fuiſſe Hæreticum, ſed adjecit, fore in die judicii cum CHRISTO, aliquos hæreticos Judices, inter quos, cum Neſtorio numerat Eutychen, Leonem autem (addit) cum Cyrillo damnatum iri.

Conc. de Nat. Dom.

O dictum ſuperans omnem procacitatem! Oro te, quiſquis es iſtis laqueis implicitus, per æternam ſalutem tuam, cernis ne hunc apoſtatam, unum transfugam, novos jam Aſſeſſores cœleſti Regi, ex inferno attribuentem? neſcio quare adhuc detineamini, quin reſipiſcatis; quaſi vero Redemptor, ac Salvator veſter, eſſet Lutherus.

Quintum eſt, quod Lutherus dirigente architecto Sathanâ, conſtruxit; Chriſtum in cruce ob dolorum acerbitatem, de anima dubitaſſe, & non ſatis habuit, hæc cum Arianis ſentire, verum & DEUM eſſe paſſum, apertè adverſus Zwinglium pronunciavit.

Luth. lib. de Concil.

Sextum eſt, quod ille aſſeruit, quem vos plurimis Papiſtarum Doctoribus opponitis; Cum enim decebat omnem injuſti-

tiam & perfidiam implere eum, qui tam bellè Synodos, Academias omnes, Ecclesiam totam, reformaturum se jactabat, oportuit eundem hæc omnia, quæ antea protulit, in malicia superare. Id autem nunc planius ostendo: Ac primo, quemadmodum cum timeret permiscere naturas, divisit cum Nestorio personas, sic dum vitare Nestorium voluit, incidit in Eutychis impietatem prorsus, ut in eum illud quadraverit, quod quidam Poeta cecinit:

Luth. Eutychonestorizat.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Extat Lutheri liber, quem inscripsit de Cœna Domini: In eo soli humanitati & non divinitati passionem CHRISTI tribuit: deinde, ipsam Domini humanitatem, evehit in Divinitatem, dum ait: *Necesse est eam Christi essentiam, quæ est cum DEO una persona, longissimé extra creaturas collocari, ideoq; tam longè quam DEUS ipse extra creaturas est.* Et alibi *Credimus* (inquit) *quod CHRISTUS JESUS, sit juxta humanitatem supra omnes creaturas collocatus, & omnia impleat.* Ex quibus verbis judicium Theologorum esto, quam prorsus illud colligatur: Si CHRISTI humanitas extra ordinem creaturarum sit, non esse creatam naturam, sed essentiam increatam: quare nec amplius humanitatem, sed divinitatem esse dicendam. Quin vero, si tantum humanitas CHRISTI absit à creaturis, (quod ad indignitatem attinet) quantum abest ipsemet DEUS, erit infinitæ dignitatis, atq; eminentiæ: quare, aut erunt duæ naturæ infinitæ, aut CHRISTI humanitas erit conversa in DEitatem. Aperiant oculos seducti, & hanc versutiam considerent.

Luth. ser. de Sac. Cœnæ Dom.

Sed quid debeo commemorare illius Atheismos infinitos, quibus replevit totam sui operis scripturam? Hæc pauca pio Lectori sufficiant, ex quibus quam impiè ipsum DEum Lutherus blasphemaverit, constat.

Nunc igitur non demiror Tuam, *ô Fidelis Admonitio*, dementiam, quâ in Sanctos, quorum nomina vivunt in æternum, insurrexisti. Eundem Scyphum bibis, quem & parens tuus, uno tenore canis. Ille DEUM, non mirum si tu Sanctos blasphemas, quia semper graculus assidet graculo.

Verum

Verum ne hæc ſicco pede tranſeant, doceas nos, Cur illorum, qui erant Monachalium Ordinum Authores, non fuit Sanctitas vera, & incontaminata? *Quia* (inquit) *1. Superſtitioſa, 2. Phariſaica. 3. Fabuloſa. 4. Falſis hypotheſibus ſuperſtructa.*

Nihil tibi ſuavius eſſe video, quàm de rebus alienis loqui. Quatuor protuliſti, & ignoras, quod ad bonam cauſam, tria verba ſufficiant: jam illud quod erat in mente amente tua, pleno de pectore manat, hoc tamen dolendum, quod ſemper immodeſta verba fundis, & Sermonibus tuis nulla mens ineſt.

Examinabo igitur tuam probationem, qua negas veram Sanctitatem eſſe fundatorum Ordinum, & quod verum erit, fateri curabo.

Imprimis dicis eam fuiſſe *Superſtitioſam, & probas. Quoniam in Electiciis cultibus fundata.* Mentiris *Fidelis Admonitio.* Ad hoc enim cujuscunq; religionis opera tendunt, ut DEI præcepta, non Electicii cultus, ſerventur. Ulterius, *Poſthabitis Sacris litteris, peculiares modos finxerunt.* Itidem mentiris. Hæc enim ſunt potiora omnibus ſtatutis & regulis, quæ omnia in hunc finem reducuntur, ut præcepta DEI ſerventur, & ob id religionum Scholæ ſunt, quatenus voluntas DEI doceatur ex Sacris litteris, atque impleatur. Unde vita Monaſtica, quam illi Sancti Patres inſtituerunt, non pugnat cum Chriſtianiſmo, cum ſit à Prophetis prænunciata, Patribus à Spiritu Sancto inſpirata, in Conſiliis CHRISTI fundata, Sanctorum primitivæ Eccleſiæ uſu obſervata, & ab Univerſali Eccleſia tot centennis annis, per univerſum orbem approbata, ut impudentiſſimum ſit, ea in dubium revocari.

Ulterius. *Peculiares modos, eosq; plane ſuperſtitioſos, finxerunt.* O quam Excellenter blaſphemaſti? Væ labiis ſceleſtis: mox videbimus, an tua hæc malitioſa quaſi veritas ſtare poſſit. Ulterius. *Peculiares modos, ſæpè etiam ridiculos, ſibi finxerunt.* Ridiculos apud vos, & pariter inſanientes.

Unde hanc Superſtitioſam vitam SS. Patrum deprehendiſti? *Ex ſola Legenda* (inquit Fidelis Admonitio) *Dominici &*

 Franciſci,

Francisci, in qua leguntur tot Superstitiosa & puerilia facta, ut illos citius, &c.

Quid tandem *Fidelis Admonitio* legisti, in vita Divi DOMINICI & FRANCISCI superstitiosum? non pudet tuos Authores, tam futilia verba protulisse? qui, si Theologi sunt, definitionem superstitionis norunt, & quomodo quadrare possit gestis Sanctorum, unde probabitur?

D. Thom. 22. q. 92. ar. 1. Scisne *Fidelis Admonitio* quod Superstitio sit, *vitium religioni oppositum, secundum excessum, non quia plus exhibeat in cultum divinum, quàm vera religio, sed quia exhibet cultum divinum, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.* Edissere igitur, quid Divus DOMINICUS & D. FRANCISCUS tale fecerint, quod fuerit contrarium religioni, vel qualem cultum alias alicui non debitum, exhibuerint? Expecto vocem, loquere aliquid, sed tu statua taciturnior, quasi caput sine lingva appares, non secus, atque tui *Muti Magistri.*

Ad extremum penes Superstitiosam Sanctitatem, *moriones amentes.* Divus DOMINICUS & FRANCISCUS à *Fidelis Admonitione* pronunciantur.

Decuitne Tuos Authores, & quidem Christianos, tale stultiloquium, & scurrilitas? Illi ne sunt Doctores facultatis Theologicæ, qui expressam definitionem amentiæ, Sanctis Patribus DOMINICO & FRANCISCO convenire existimant? *Amentes dicuntur, qui à natura expertes rationis, solum sensuum munus exeqvuntur, immanes quidem, belluarumq; similes habendi sunt, ut quædam genera barbarorum, procul habitantium*, ita Philosophus. (Arist. 7. Ethic.) Profertne legenda, ipsos esse à natura expertes rationis, vel quid simile? Jam video, quod mortuo leoni & lepores insultant, Sed nihil profectò stultius, neque stolidius, neque mendaciloquius, neque argutum magis, neque confidentiloquius, neque perjurius, vobis, qui hanc turpem, & procacem dicacitatem effutistis, quæ sapientibus dolorem excitant. O sacros Pisces *Doctores Wittebergenses*, qui squillas à sepulchro vellant, & tanto intensius de alieno judicant, quanto suam vecordiam, & delirium profundius ignorant.

Citius

Citius (inquit Fidelis Admonitio) *illos Moriones fuisse amentes, quàm viros Sanctos, DEUM verè colentes, inde concludendum sit.* Unde concludis? Ex proprio cerebro, quod simul & aure, & mente, & oculis cœcum est vel ex proprio Capite; quod cerebro caret. Hæc concludit tuus animus, cui per libidinem corrupto, nihil honesti inest.

Postmodum (*Fidelis Admonitio*) sanctitatem prædictorum Patrum, Pharisaicam, Fabulosam, falsis hypothesibus superstructam, vocat.

Talia nate loquens, haud multo tempore vives. Homer.

Sicut insensu Authores Fidelis Admonitionis leves, ita & in loqvutione præcipites, quia quod levis conscientia concipit, levior protinus lingva prodit: Et ignorant sapientissimum dictum Sancti Hieronymi: *Verba voluere, & apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Nihil tam facile, quàm vilem plebem, & indoctam, volubilitate lingua decipere, qua quicquid non intelligit, plus miratur.* Hieron. ad Nepotian.

Dum igitur dicis, *Fidelis Admonitio, Pharisaica, Fabulosa, &c.* verba voluis, quibus citra honestatis nitorem, lingva tuorum Authorum polluitur infrænis: per quam conscientia sordidisima manet. *Verba voluis*: quibus tuos Authores, Dicaces, lingvaces, loculuteos, bombaliones, ac futiles ostendis. *Verba voluis:* speciosa verbis, sed re inania, & subdola; & quod intus latet, nihil est præter mendacium, & injuriam, quæ *injustè irrogata, ejus infamia est, qui fecit.* Eamq; non vindicamur, quia: *Quidquid à quolibet hominum passi fuerimus injustè, aut remissionem accipiemus omnium peccatorum, aut si tanta in nobis delicta non fuerint, clarioribus honorabimur coronis.* Senec. in Epist. Chrysost. sup. Matt.

Fidelis Admonitionis
Cap. III.
Recenſens firmiſſimas rationes, quæ tranſitum ad Papatum omnibus piis diſſvadent.

TAm firmiſſimæ veſtræ rationes ſunt, ſicut Herculanus morbus, cui, queritur an medicorum ope ſuccurri poſſit? His omnibus collectis, unicum argumentum *Fidelis Admonitio* nectit.

Fid. adm. fol. 228.

Quæcunq́; (inquit) *Religio plurimis peccatis anſam ſuppeditat, ut eam nemo amplecti poſſit; quin de iſtis peccatis, & peccatorum ſuppliciis participet, illa utiq́; religio non capeſſenda, ſed ſummo ſtudio fugienda: At qui Papalis religio plurimis peccatis anſam ſuppeditat, ut eam nemo amplecti poſſit, quin de iſtis peccatis & peccatorum ſuppliciis participet; Ergo Papalis religio non capeſſenda, ſed ſummo ſtudio fugienda eſt.*

Ad hoc argumentum reſpondeo, Concedendo *majorem*, Ad *minorem* dico, quod committit fallaciam, non quidem aliquam ex libris Elenchorum, ſed extra, quæ eſt Fallacia Mendacii, ἀπάτης, calumniæ, omniſq́; verſutiæ.

Fid. adm. fol. 232.

Verum *Fidelis Admonitio* probat Minorem: *Peccata* (inquit) *cerno plurima, quibus Univerſus Papatus eſt obrutus, & quibus anſam dat ipſa religio Papiſtica, ut ſunt idololatria, contemptus verbi tui ſcripti, perjuria, tyrannis, concubinatus, Sacrilegium, ſimonia & ſimilia*. In hac probatione:

Ovid. 5. Triſt.

Sive locum ſpecto, locus eſt inanimabilis, & quo
Eſſe poteſt, toto triſtius orbe, nihil
Sive homines, vix ſunt homines hoc nomine digni,
Quamq́; lupi ſævæ plus feritatis habent.

Habet hæc tua probatio, ô *Fidelis Admonitio*, currum proprium, rotis quatuor conſiſtentem: Sevicia, Calumnia, Audacia, Impudentia. Valde iſte currus velox eſt, ad effundendum ſangvi-

ſangvinem, qui nec innocentia ſiſtitur, nec patientia retardatur, nec timore frænatur, nec pudore inhibetur. Quis unquam (demptis vobis) propoſitionem, ſic minorem contra Catholicos probavit, Quis talia Catholicis adſcripſit? Nullus, excepto veſtro patre blaſphemiæ Luthero, qui ſi Deo non, cur nobis, parcere debet.

Sic igitur dicere debuiſti, & inferre minorem: *Sed religio Lutherana, plurimis peccatis anſam ſuppeditat, ut ſunt blaſphemia* quam Magiſter veſter Lutherus, cum antiquis Hæreſiarchis, toties, ut antea dixi, commiſit. *Perjuria*, quia juramento fracto, & religionis voto conculcato, inſignis Apoſtata factus eſt. *Sacrilegium*, atteſtatur ſua Catharina, & ſimilia, quibus addenda, *commercia Diabolica*. Hæc religio Lutheri ſuppeditavit, credo quod & veſtra, ſi enim de quo magis, & de quo minus. Ergo (quisquis ſanæ mentis es inferas) religio Lutherana non capeſſenda, ſed abominanda eſt.

Et illud quid ſibi vult, cum dicis: *Si perpendo præcipua Papatus dogmata, video plerad; eſſe, partim ἄγραφα & præter, partim ἀντίγραφα & contra Scripturam excogitata. Nihil invenio de Invocatione Sanctorum, nihil de cultu reliquiarum, nihil de Purgatorio, &c. nihil de Monaſtica vita, &c.* Fid. Adm. fol. 231.

Semper tu in Sacra Scriptura nihil. Vidiſti copiam Scripturæ, aſſerentis Indulgentias, tantam pro ſingulis punctis, de quibus nihil es in Scriptura, ſi non eſſes *hypſea cæcior*, videres. Noli palpare ſcripturam in tenebris, & hoc quod nihil in Scriptura dicis, reperies.

Fidelis Admonitionis
Cap. IV.

In quo cauſæ allegantur graviſsimæ, cur ab agnitâ, ſemelq; ſuſcepta Confeſſionis Auguſtanæ doctrinâ, non ſit deficiendum.

Fid. Adm. Fol. 264. Audiamus istas rationes gravissimas, *Quia hæc sola* (inquit) *religio Lutherana est, quæ hominum mentes mire afficit, &c. Hæc sola est, quæ afflictos efficaciter erigere, tentatasq; conscientias solari, & tranquillare potest, &c. Hanc primitiva Ecclesia docuit, hanc prisci Patres defenderunt, &c.*

Crederem tibi, si non convenientius veritati credendum esset, aliter enim describit Sacra Scriptura vestram religionem, in hunc nimirum sensum.

2. Petr. 2. Hæc vestra religio est, in qua *homines DEum offendunt, in qua post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulãtes, sectas nõ metuunt*
2. Cor. 11. *introducere blasphemantes.* Hæc vestra religio est, *in qua Pseudo Apostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos CHRisti.* Hæc
Actor. 20. vestra religio est, *de qua intrarunt lupi rapaces, non parcentes gregi, de qua surrexerunt viri, loquentes perversa, ut abducant discipulos*
2. Petr. 2. *post se.* Hæc vestra religio est, *de quâ Pseudoprophetæ in populo surrexerunt, Magistri mendaces, qui introducunt sectas portionis, & multi seqvuntur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphematur.*
2. Tim. 3. Hæc vestra religio est, *de qua sunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores, magis quam DEI, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus*
Hierõ. l. 8. *abnegantes.* Hæc vestra religio est, *in qua omnes simulantes fidem non subditi sunt fidei, sibiq; fidem potius constituunt, quàm accipiunt, sensu humanæ inanitatis inflati, dum quæ volunt sapiunt, & nolunt quæ recta sunt.*

Pro hac ne fide, petis juvamen DEI, ut firmissima sis
Apocal. 3. & permaneas? *Tene, igitur, quod habes, ne alius tibi coronam accipiat.*

Fidelis

Fidelis Admonitionis
Cap. V.
Solatur suos charissimos Fratres in persecutionibus.

Consolamini, ergo, consolamini, popule meus: Isai. 40.
O socij (neq; enim ignari sumus ante malorum) Virgil. 1. Æneid.
O passi graviora, dabit DEUS his quoq; finem.

Ne amplius tædiosum videar tenere Lectorem, finem hujus operis instituo, neq; enim illi Sarcasmi in *Fideli Admonitione* contenti, responsionem merentur.

Hæc igitur sunt, quæ breviter inculcare Christiano Lectori volui, ut non audiat eos: qui ultro à Patrum communione, simul & ab Ecclesia, (quam Paulus columnam & firmamentum veritatis vocat) discessêre, sed ut firmiter ei, per veram veræ fidei anchoram adhæreat: neq; enim periculum est, ut Ecclesia, quæ quantum ad fidei veritatem attinet, Spiritu Sancto regitur, à seipsa discedat, quanquam ab ea recesserint alii. Cæterum, qui recedunt, à veritate recedunt; atq; hi sunt, quos velut pestilentes, & perniciosos, D. Paulus aversari jubet.

Finis.

Ad majorem Dei gloriam & Sanctæ fidei Catholicæ propagationem.

Errata corrige.

In I. Parte.

Cap. 2. fol. 2. v. 7. jungandi, lege, jurgandi.
Cap. 4. fol. 2. v. penultimo anxiæ, lege anxiè.
Cap. 5. fol. 3. v. 13. respicere, lege, respuere.
Ibidem v. 17. totias, lege, totius.
fol. 4. v. 6. suadentium, lege, succedentium.
ibidem v. 18. primo, lege, primus.
ibidem v. ultimo recensus, lege, recensui.
fol. 5. v. 15. Afriam, lege, Africam.
Cap. 6. fol. 4. v. 30. li, lege, hi.
fol. 5. v. 31. lachrymis, lege, lachrymosis.
fol. 6. v. 17. sidem, lege, fidem.
fol. 7. v. 19. Nol, lege, Non.
Cap. 7. fol. 2. v. 1. luitoros, lege, luituros.
fol. 3. v. 7. defuncti, lege, defunctis.
Ib. v. 18. Satisfactorii, tantum, lege, Satisfactorii tantum.
Cap. 8. fol. 3. v. 3. dicatq;, lege, dixitq;.
fol 8. v. 8. Sunt, lege, sicut.
ibid. v. 20. concecisse, lege, concessisse.

In II. Parte.

fol. 1. v. 14. timorem, lege, timore.
fol. 2. v. 28. conciatis, lege, concutiatis.
Cap. 1. fol. 2. v. 16. fastinandum, lege, festinandum.